

BIBLIOTHECA
PATRUM S. J.
SAN JOSE

EPITOME

HISTORIÆ

Societatis Jesu.

III.

BIBLIOTHECA
PATRUM S. J.
SAN JOSE



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/epitomehistorie0003jose

EPITOME

HISTORIÆ

SOCIETATIS JESU,

AUCTORE

JOSEPHO JUVENCIO,

EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE.

Tomus Tertius

Ab anno Christi MDLXXXI ad annum MDCIII.

GANDAVI,

E prelo Vid. J. Poelman-De Pape, typog. Episcopatus.

1853.

BIBLIOTHECA PATRUM S. I., SAN JOSE.

BIBLIOTHECA PATRUM S. I., SAN JOSE.

ALMA COLLEGE 060.9 LIBRARY J988 Alma, California

FATHERS LIBRARY ST. JOSEPH'S CHURCH ALMA COLLEGE SAN JOSE, CALIFORNIA

6915

BIBLIOTHECA
PATRUM S. I.,
SAN JOSE

EPITOMES HISTORIÆ
SOCIETATIS JESU.

Liber Tertius.

Ab anno Christi 1581 : Societatis 42.
Ad ann. Christi 1616 : Societatis 77.

BIBLIOTHECA
PATRUM S. I.,
SAN JOSE

Annus Christi 1581 : Societatis 42.

R. P. CLAUDIUS AQUAVIVA,

SOCIETATIS PRÆPOSITUS GENERALIS V.

Ex Europæ septemdecim Provinciis delecti ad Congregationem Generalem Patres tempore adfuerunt septem et quinquaginta. Ex aliis enim Provinciis vocati convenere tardius ob locorum nimiam longinquitatem. Primus Congregationi consessus habitus est septimo Idus Februarias. In eo Vicarius P. Oliverius Manareus a quibusdam accusatus fuit, quasi supremum in Societate locum malis artibus aucupatus esset. Ille vero cum gravissimam instare perturbationem cerneret, passivi, ut loquuntur, suffragii jure ultro se

Congregatio generalis IV

BIBLIOTHECA
PATRUM S. I.,
SAN JOSE

BIBLIOTHECA
PATRUM S. I.,
SAN JOSE

abdicavit. Sed vacare culpa declaratus est primum quidem a Summo Pontifice, qui rem totam per se cognoscere gravatus non erat, deinde a Præposito Generali, Claudio Aquaviva, quem Congregatio elegerat Societatis universæ moderatorem, XI Calendas Martias; annos vix triginta octo natum, at expertæ in consiliis capiendis prudentiæ, et in sequendis constantiæ ac fortitudinis. Multis salubriter constitutis, Congregationi finis est impositus decimo Calendas Maii.

Cl. Aquaviva renuntiatur Præpositus Generalis.

Creata sunt hoc anno decem admodum collegia, nondum tamen omnia omnino absoluta. Placentinum auctore Octavio Duce Farnesio, Vercellense, cura et studio tum Joannes Francisci Bonhomii, antistitis Vercellensis, tum Cardinalis Guidonis Ferrerii. Utrumque in Italia. Divionense in Gallia debetur inexpectatæ liberalitati Principis Senatus Divionensis Odineti Grodanii, qui nemine Patrum consulto vel admonito, testamentum fecit, quo hæredem suorum bonorum ex asse Societatem instituebat, ut collegium in hac urbe Ducatus Burgundici primaria poneret. Augense, item in Gallia, magnifice constructum est ab Henrico Duce Guisio, cujus in ditione Augum erat, Comitatus caput in extrema, Picardiam versus, Normannia. Additum postea collegio fuit ab eodem Principe Anglicanum Seminarium. Michael de Agullana, Canonicus Gerundensis, ad erigendum Gerundæ in Catalaunia collegium, Gregorio

Collegium Placentinum, Vercellense,

Divionense,

Augense,

Gerundense,

Pontifici beneficium Ecclesiasticum resignavit. Pontifex ratam habuit ejus voluntatem. Leodii Collegium inchoaverat Cardinalis Gerardus Groisbeeckus; absolvit Ernestus, Guillelmi Bavariæ Ducis frater, Leodiensis antistes ac Princeps. Leodiense.

De aliis domiciliis, in Asia et America hoc anno natis, fiet mentio cum ex Europa discesserimus; in qua propemodum inviti ac reluctantes Angliam ingredimur: tam dira edictorum, periculorum, ergastulorum, et carnificum facies ostendere se incipit! Patres Bosgravius et Cottamus detinebantur in carcere: Personius et Campianus quotidianas insidias peculiari Numinis præsidio declinabant, tecti latebris, at non otiosi. Prodierat exitialis liber auctore Clitheroo, Sacerdote Anglo. Docere conabatur posse catholicos adire templa hæreticorum, certis conditionibus adhibitis. Hæc opinio placebat multis, quippe conjuncta cum utilitate, neque a pietate disjuncta, ut Clitherous affirmabat: nec pauci opibus, et genere insignes illam cupide amplectebantur. Hanc Personius ita confutavit, ut omnem auctori pariter ac libro fidem abrogaverit. Personius et Campianus scriptis religionem defendunt.

Alia ex parte Campianus aureum composuit latino sermone opusculum, quod *Decem Rationes* inscripsit, quia decem in eo rationes affert, quibus catholicæ religionis veritas comprobatur. Eas vero tanta vi, majestate, copia, proponit, explicat, illustrat, ut hic libellus perfectæ specimen

eloquentiæ merito censeatur. Huic lucubrationi nullis argumentis responsum est, ut scribit ipse Campianus in suis ad Præpositum Generalem litteris, *præterquam iis, quæ ducuntur ab equuleo, inedia, maledicto. Solum hoc deest huic causæ,* inquit, *ut nostrorum libris atramento scriptis alii succedant exarati sanguine.* Non diu defuerunt. Omnium oculi, aures, animi, erant in Campianum intenti; catholicorum ut eum audirent servarentque; aliorum ut caperent, ac perderent. Itaque Personius illum procul in Provinciam Norfolciam, amandavit. Discedenti mora ineluctabilis ac periculosa, per catholicos injecta est, qui viri nobilis domum per quam iter habebat undique confluxerant. Frequentabat hanc domum Georgius quidam Eliottus, catholicus ille quidem, sed perpetrati homicilii conscientia vexatus et pœnam timens, quam sibi facile condonandam putavit, si Campianum proderet. Ut erat famulis notus, ac nemini suspectus, facile rescivit illum adesse, et indicium fecit oppidi vicini præfecto, qui cum globo militum advolans Campianum eductum e latebris, in quas audito tumultu se conjecerat, Londinum deducit. Intravit urbem eo vultu, qui triumphantem deceret, ea modestia, quæ omnium animos caperet. Præibat equitum caterva; sequebantur catholici nobiles cum Sacerdotibus aliquot pariter comprehensis: medio in agmine Campianus, manibus post tergum

Campianus capitur, ducitur Londinum,

revinctis. Causæ ejus argumentum, uncialibus litteris tabella fronti præfixa, scriptum ostendebat : *Campianus Jesuita seditiosus.*

Abreptus in carcerem, statim in equuleum tollitur, et jubetur edicere quorum opera sit usus in edendis suis libellis; qui Sacerdotes recens in Angliam, et unde venerint; ubi degant, quid moliantur? Cum fortis athleta nullam excidere sibi vocem pateretur, ex qua vel innocenti cuiquam exitium, vel religioni labes aliqua crearetur, distenditur in equuleo, insigni crudelitate, ac suis sedibus membra omnia dimoventur. Ter hunc in modum tortus jacuit, manibus pedibusque ita debilitatis, toto corpore ita confracto, ut erigere se non posset. Jacenti sic, et semivivo disputandi faciunt copiam. Tum facilem fore de prostrato victoriam putaverunt. Ac sola quidem respondendi potestas data, non item proponendi et interrogandi : tantus illos metus doctrinæ viri, et eloquentiæ ceperat! Disputavit, et in equuleo ipso vicit. Pudorem suum ulcisci victoris nece statuerunt. Quæsitus probrosi alicujus criminis color : objecta conspiratio in Reginam, consilia cum hostibus inita, patriæ proditio, ut et gloria martyrii eriperetur, et ignominia supplicii augeretur. Ita compositis criminibus sistitur ad tribunal, et accusationis libellus recitatur. Tunc, liberam vocem tollens negavit se perduellionis, aut ullius in Reginam, patriamve conjurationis reum esse, crudeliter torquetur,

testesque superos ac Deum immortalem fecit. Unum est crimen nostrum, adjecit, vel gloria potius, studium et defensio catholicæ religionis; addidit alia quibus innocentiam suam coronæ circumstanti facile probavit. Ipsi testes et accusatores pugnantibus inter se testimoniis ac sententiis, proditam a se veritatem, non a Campiano patriam, ostenderunt. Nihilominus tamquam legitimo et manifesto judicio convictus, damnatur, cum aliis quatuordecim, partim laicis partim Sacerdotibus. Tumultum et populi offensionem judices timuerunt, si omnes eodem die neci dederentur; a tribus initium facere placuit, qui reliquis fama, eruditione, et auctoritate præstabant: Edmundo Campiano, e Societate Jesu; Rudolpho Shervino, inter Anglicani Romæ collegii alumnos olim educato, et Alexandro Brianto, Rhemensis pariter Seminarii alumno: quem Societati nomen dedisse nondum palam erat. Processerunt læti pugiles ad Tiburnum (locus est plectendis facinorosis addictus) impositi pro more cratibus vimineis, quas equi per humum raptabant. Campianus e sua crate in plaustrum subjectum patibulo sublatus, inserto in fauces laqueo, circumfusam undique multitudinem allocutus est, ab iis Apostoli verbis exorsus, *spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus,* seque catholicum Sacerdotem professus, mortem pro Fidei defensione optatissimam inferri sibi affirmavit, quippe cui

iniquissime damnatur,

fortissime moritur.

nullum proditionis vel conspirationis in Reginam, aut in patriam, crimen objici vere posset. Inter hæc plaustro subducto pependit e funesta, vel gloriosa potius trabe. Ingemuit populus, et profusis lacrymis mortuo parentavit. Caput postea resectum, dissectus venter, exstracta viscera, cor separatim avulsum, et a carnifice ostentatum populo, cadaver quatuor in partes divisum: quæ omnia in perduellium supplicio usurpare Angli solent. Ex qua laniena stillantibus sanguine manibus carnifex ad Shervinum conversus barbaro fremitu: veni, Shervine, inquit, accipe et tu mercedem tuam. Ille lætus hominem arcte complectitur, et impiarum manuum pium cruorem exosculatus est. Quæ res populum valde commovit. Dein pari fortitudine, pari pietate, se ab omni perduellionis crimine remotissimum semper fuisse contestans. Vera dici annuit populus, et virtutis opinionem, quam vir optimus merito consecutus erat, faustis precibus confirmavit.

Shervinus in patibulum tolluntur;

Ultimus ad certamen ac triumphum venit Alexander Briantus. Quanto plus merebatur commiserationis et veniæ tum illius ætas annorum octo dumtaxat et viginti; tum ingenuus animi sermonisque in respondendo candor, veritatis index et innocentiæ: tanto ferocius in eum sunt invecti. Diuturna fame, et siti gravissima pene confectus producitur in equuleum, et ita discerpitur ut artuum compages solverentur, ipsumque sesqui-

et Briantus eodem afficitur supplicio.

pede longiorem factum tortores crudeli joco jactarent. Mirati patientiam et in silendo pertinaciam, ut vocabant, pugnis contundunt caput, colaphos infringunt per insanam rabiem, demum acus illi sub ungues manuum pedumque incredibili sensu doloris adigunt. Cum interim vir patientissimus, veniam teterrimis carnificibus a Deo supplex oraret, efferati tam inusitata mansuetudine, reddunt illum equuleo, tanta vi, furore tanto, parum ut abesset, quin membra membris avulsa rumperentur. Sudore frigido perfusum et semianimem parumper quiescere patiuntur, mox in subterranei carceris fœtidum antrum conjiciunt, ubi dies quindecim, nullo membrorum usu et motu, vitam fugientem ægre tenuit. Tunc, ut vitæ et corporis sui sacrificio, alterum animi ac pietatis adjungeret, concepit votum ineundæ, cum primum posset, Societatis, in qua nomen suum profiteri etsi jampridem cupiebat, ne faceret tamen certis causis impeditus fuerat. Scribit igitur ad Socios in Anglia degentes, iisque suum exponit votum, a quibus acceptum est, et ipse nostris annumeratus. Rem Deo gratam fuisse agnovit non sine opinione prodigii. Nam denuo cruciatus majori quam antea immanitate, omni doloris sensu caruit. Quod vehementer admirans Nortonus, qui crudelissimæ quæstioni præerat, manifesta dæmonis ope factum id exclamavit. Briantus e custodia productus ad tribunal, crucem a se fabricatam in carcere

præferebat. Jussus eam abjicere : *Miles Crucifixi sum*, respondit, *Ducis mei vexillum ad mortem usque non deseram*. Extorsit invito, et reluctanti nescio quis ex impiorum grege : cui Pater : *potes e manibus extorquere crucem ; e corde non potes; ibo, et pro eo sanguinem profundam, qui pro me sanguinem in cruce profudit*. Proxime tollendus in patibulum, se vixisse catholicum et mori, prædicavit; imposita perduellionis et proditionis crimina pernegavit : instantibus ut suam de Pii V Elisabetham anathemate ferientis decreto sententiam explicaret, respondit se de illo sentire, quod catholici omnes crederent, quod credendum Ecclesia doceret. Ætatem primam egerat in Rhemensi Anglorum collegio : inde post sacros Ordines susceptos in Angliam dimissus, explevit biennio partes omnes Operarii diligentis, et laboriosi. Cum autem Reginæ satellites Aprili exeunte irrupissent in diversorium quo P. Robertus Personius utebatur, eoque non reperto, vicinas scrutarentur domos; Briantum, quem Sacerdotem et Personii familiarem fama jactabat, abduxere ac septem in ipso torquendo menses collocarunt, nimirum ab ineunte Maio, usque ad Calendas Decembres, quas simul cum P. Campiano laurea gloriosæ mortis illustravit.

Summarium vitæ P. Edm. Campiani

Campianum Anglia in lucem ediderat Londini : disciplinis gravioribus imbuerat Oxoniensis academia; natura felix ad eloquentiam et bonas

artes finxerat, quibus cum esset egregie perpolitus, magnam injecit pestiferæ sectæ ministris cupiditatem eximii juvenis ad suas partes adducendi. Ab iis circumveniri se paulatim sentiens Duacum in Belgio se recepit, ibique Anglorum in Seminario Theologiam ac sacras litteras addidit studiis humanitatis, tamquam levi armaturæ tela graviora. Jam enim bellum Ecclesiæ desertoribus inferre meditabatur. Quod ut certius faciliusque gereret, Sacramentum Christo dixit Romæ in Societate Jesu, anno MDLXXIII. Inde missus in Germaniam arcana philosophiæ in lyceo, effata evangelica in templo, Pragæ præsertim aliquot annos explicuit. Demum in patriam anno MDLXXX Summi Pontificis jussu revertit, paucisque mensibus ea perfecit exemplo vitæ, excellenti doctrina, dexteritate agendi, disputandi ac disserendi subtilitate, quæ annis multis ab uno quantumvis impigro Christi milite confici potuisse nemo credat. Pervasit Europam ejus triumphi gloria, et summorum virorum vocem, ingenia, calamos, ad eum merita laude ornandum excivit.

Joan. Hartus excitatur ad imitandum.

Aderat in promiscua multitudine dum Campianus datum Fidei catholicæ testimonium suo sanguine obsignabat, nobilis adolescens Anglus Joannes Hartus, e collegio Rhemensi recens in patriam regressus, et in aditu ipso, cum P. Campiano ita capite damnatus, ut ejus supplicium tamen, itidem ut aliorum aliquot differendum

iniqui judices existimaverint : sperabant adolescentem flecti paulatim, aut frangi posse. Fortior promissis, minis et cruciatibus apparuit. Erat illi mater, catholica illa quidem, sed mater. Hanc adhibendam ad vincendum filium putaverunt. Nec dubitabant quin conspectu juvenis tormentis pressi, vixque agnoscendi, conterrita, eum a proposito retinendæ religionis abduceret. Subit ergastulum matrona fortis : filium onustum ferro, pallentem inedia, toto corpore distortum intuetur et : Euge, fili ; nunc te meum, inquit, agnosco : cœlum suspice, non tibi eripitur vita, sed meliore mutatur. His accensum, et ore læto annuentem complectitur suavissime ; recurrensque ad judices, bene esse filio renuntiat. Quam illi vocem ad suam mentem interpretati convolant in carcerem. Sensere se victos a femina, et doluere. Necdum tamen spes omnis labefactandi adolescentis cessit. Producitur in plateam ; jubetur spectare morientem Campianum, et parem exitum timere. Vidit et invidit : necem sibi non aliam optavit, atque ut voti compos esset, expetivit Societatem Jesu, in qua majorem fore sibi facultatem consequendæ similis gloriæ sperabat. Novis antea laboribus probandus fuit. Fossa erat in altitudinem viginti pedum depressa, cœno, sordibusque scatens. In hoc fœtenti ac lurido sepulcro perdiu jacuit, et tenebris, fame, odoris intolerabili gravitate, in summum vitæ discrimen adductus

est; nullo solatio recreatus, nisi quod ipsi probrosa mors obeunda pro religione, identidem denuntiabatur; quo nuntio reviviscere, ac vires novas recuperare sentiebatur. Interim clementiæ laudem appetivit Elisabetha; seu potius invidiam e tot virorum optimorum sanguine, tam crudeliter, tam inique fuso, in se conflari cœptam, placare cogitavit. Septuaginta tres deligi ex eorum numero qui tenebantur in vinculis jussit, quibus ingentis beneficii loco donavit exilium, postquam meliorem illis ac majorem vitæ partem sexcentis cruciatibus abstulisset: ut non concessa miseris vita, sed erepta generosis hominibus mortis gloria merito censeretur. In eorum numerum Joannes Hartus sortito venit; cooptatus deinde in Societatem, * Romam petiit, unde Jaroslaviam missus, in ea urbe ad præmia laborum evocatus est anno MDLXXXVII. Cadaver septem post annis repertum est integrum, ac veluti proxime vita spoliatum. *

* *anno* 1583 *mense Mart.*

* *Hist. Soc. p. V. tom.* 2. *lib.* 24. *n.* 21.

Pertinet ad hunc aut superiorem annum obitus P. Edmundi Donati (Donaldum alii vocant) qui a Gregorio XIII missus in Hiberniam, et in ingressu ipso deprehensus, Limericum primo, deinde Corcagiam abductus, denique post usitatas quæstionis durissimæ prolusiones, mori jussus est ob eas tres causas, nempe: Quod in Fidei catholicæ ab Elisabetha proscriptæ confessione perseveraret; quod in Angliam venisset ejusdem prædicandæ ac propagandæ studio; postremo

Edmundus Donaldus ob fidem interfectus.

quod Reginam Ecclesiæ Anglicanæ caput recusaret agnoscere. Hanc ipse sententiam ore lætissimo excepit Dei famulus, et collo felicem laqueum alacer inseruit.

Personius in Galliam excurrit.

Non fuisset actum clementius cum P. Roberto Personio, si habere illum in potestate potuissent Angli, cujus nempe ductu consiliis, et prudentia, stare Societatem in Anglia non ignorabant. Cum vero cernerent catholici non posse illum inter quotidianas insidias, et occultos apertosque domi et foris, terra marique, exploratores diu latere, instabant ut abesset parumper, ipsisque consuleret in quos ejus periculum redundabat. Cessit instantibus, et Rothomagum evasit quo illum gravia vocabant negotia pro re communi missionis Anglicanæ. In ejusmodi negotiis non postrema fuit cura novi seminarii constituendi. Placuit Augum, urbs in limite Normanniæ posita, et in Angliæ conspectu. Ducem Guisium adiit; neque is cunctatus est, quin domum et nummos huic operi addiceret. A negotiis si quid otii daretur, id Personius in edendos libros conferebat, qui catholicis animos in hac tanta temporum acerbitate adderent : vixque dici potest quantum his armis, istis doctoribus tacitis, impune vagari solitis, ac nesciis dissimulare, profecerit. Nec Scotiæ immemor fidum in ea Sacerdotem submiserat antequam ex Anglia discederet, exploraturum quid spei affulgeret : cumque dari

Augense Seminarium Anglorum aperit.

nonnullam rescivisset, Summum Pontificem et Præpositum Generalem Societatis admonuit. Sane offerri videbatur opportunitas magna revocandæ ad catholicam unitatem Scotiæ, cæso Mortono comite, regni gubernatore, ac partium hæreticarum acerrimo defensore. Maria ipsa, Scotiæ Regina, vehementer optabat homines mitti, qui religioni laboranti succurrerent, quod ipsa præstare non poterat, cum ab Anglis in custodia teneretur; quique filium ipsius Jacobum, adolescentem annorum circiter quindecim, catholica veritate imbuerent. Personius postulatu ejus ac nomine ad Claudium Aquavivam scripsit, rogans ut Scoti Patres aliqui mitterentur in Scotiam. Cum Aquaviva Personii litteras ostendisset Pontifici, eo probante, destinati sunt huic expeditioni PP. Edmundus Haius, et Guillelmus Crittonius, ac subinde alii de Societate.

In Scotiam missi Patres.

Moscoviam adit, missus a Pontifice

Divinæ Providentiæ benigna sollicitudo maxime perspecta fuit in bello Moscovitas inter et Polonos per id tempus gesto. Per hanc enim occasionem data est ingens Moscovitis opportunitas e schismatis exitialibus tenebris emergendi. Joannes Basilii seu Basilides, magnus Moscoviæ Dux, in Livoniæ partem quæ Polonis parebat, impetum anno superiore fecerat. Stephanus Bathorius e Transsylvaniæ principatu ad Poloniæ regnum accitus injustum et superbum hostem oblatum sibi a superis putavit, in quo vincendo

judicium Polonorum de sua fortitudine ac prudentia, comprobaret. Male mulctatum tota ejicit Livonia, mox in ejus fines irrumpens stragem late ac vastitatem spargit. Moscovita improviso successu hostium et suis cladibus attonitus, mittit Legatum ad Romanum Pontificem, orans ut pro sua in Christianos Principes auctoritate, funestas belli faces exstinguat. Gregorius, cum pridem optaret Religioni Catholicæ aditum in Moscoviam aperiri, occasionem alias frustra quæsitam, libentissime arripuit, et circumspiciens quem virum huic negotio præficeret, oculos in P. Antonium Possevinum conjecit, legatione apud Suecos nuper egregie functum, ad hæc Stephano Poloniæ Regi notum et carum, cujus, utpote offensi et victoris, animum ad pacem inclinare, quam necessarium, tam difficile videbatur. Ergo iter ingressus cum Sociis quatuor, Vilnam ad XVIII Calendas Julias pervenit Regemque allocutus prima quasi semina conficiendæ pacis jecit. Inde ad Moscovitam accelerans, viæ ducem et comitem honorarium a Rege accepit præfectum Cosacorum, quem in itinere Possevinus a Ruthenico Schismate ad Romanam fidem convertit. Præmissi a Moscovita equites trecenti Legatum Pontificium deduxerunt Staricam, qua tunc in urbe Magni Ducis aula erat. Ad eum deducitur Possevinus inter dispositas hinc atque inde militum cohortes, et innumerabilem omnium ordinum frequentiam. Sedebat in

P. Antonius Possevinus.

Quo modo fuerit acceptus.

solio Princeps : chlamys auro gemmisque collucens ad talos usque demittebatur; humeros breve tegebat palliolum, quale Prælatis nostris gestare mos est; cingebat caput tiara, unionibus gravis; torquis geminus, alter altero major, aureis uterque globulis margaritisque consertus e cervice descendebat in pectus, et crux palmo longa, e breviori torque pendebat. Digitos singulos onerabant ornabantque annuli bini ternive. In sinistra sceptrum oblongum, Episcopali pedo simillimum; in cruribus ocreæ gemmis pariter et auro nitentes, nam calceis Moscovitæ non utuntur. Ad utrumque Principis latus duo stipatores candido paludamento induti, subrectis hastis, et in ictum pronis. Ad lævam Joannis filius natu maximus, humiliori considebat in solio. Fusa circum tacensque nobilium corona exstabat in subselliis, ita dispositis, ut posteriora prioribus paulum eminerent, et spectare omnes spectarique possent. Cunctis promissa pedes ad imos vestis, impositum summæ vesti amiculum auro argentoque textum, parum abhorrens ab eo quo Diaconi catholici ad aram vestiti apparent, cum operanti Sacerdoti ministrant; Dalmaticam vulgo appellamus.

Productus ad solium Nuntius Apostolicus, et Principem submisso corpore veneratus cum se a Gregorio XIII summo Christianorum Pontifice, Christi Domini Vicario, Universalis Ecclesiæ Pastore, legatum venire dixisset : surrexit Dux ad

Pontificis nomen, deque illius salute ac rebus gestis pie reverenterque percontatus est. Ejus litteras, legationis testes, jussus regio ab epistolis ministro tradere Possevinus, munera quæ a Gregorio ferebat, exposuit. Digna erant omnia tanto Pontifice; digna tanto Principe, cui cum vehementer placuissent, Legatum ad solemnes epulas invitavit. Narrabant aulici nihil ad eum diem visum in Moscovia magnificentius. Centum convivæ; opipara et numerosa fercula. Princeps ipse convivii moderator et socius. Ille mediis in epulis Possevinum vicinæ mensæ accumbentem blande respectans, de Gregorio XIII graviter et honorifice prædicare cœpit : Sanctum Patrem nominare, omnium supremum, Ecclesiæ Romanæ et Christianæ Pastorem a Deo constitutum : *Quem nos,* inquit, *veneramur, et Vicarium Christi agnoscimus, tibique, propter ipsum, omnem reverentiam exhibimus.*

Insecutis diebus actum est de negotio legationis. Contulit se certum in locum legatus cum delectis a Principe Senatoribus, et conditiones pacis quas Polonus ferebat, quas Pontifex optabat, proposuit. Postulabat Pontifex ut Basilides, composita pace, arma in Ottomanos converteret; ut copiam faceret Legatis Apostolicis, si quando ad Persas, Tartarosve, mitterentur, commeandi per Moscoviam; ut catholicis denique negotiatoribus faceret potestatem exercendi suo in regno

commercii, et ritus catholicos libere profitendi, propriamque ipsis ædem sacram et cœmeterium concederet. Prima duo capita promissa fuerunt utcumque; tertium vero prorsus negatum est : erat enim Princeps Ruthenico schismati misere deditus. Post varias altercationes, eo demum sententiæ convenerunt ut negotium religionis post confectam pacem examinaretur. De conditionibus a Rege Poloniæ propositis diu multumque certatum est; cumque mittendis ultro citroque nuntiis et scriptis parum proficeretur, auctor fuit Possevinus, ut certi homines ex utraque parte legerentur, quibus amplissima potestas esset rem omnem disceptandi, et coram transigendi. Inchoatum istud colloquium est Idibus Decembris, et usque in Idus Januarias anni sequentis productum; ubi de illius exitu narrabitur.

Quo statu res in Belgio:

Spes pacis et otii vix ulla in Belgio monstrabatur. Lucem tamen perditis prope rebus magnam attulerat Alexander Farnesius, Dux Parmensis, et aliquot urbes Ordinibus fœderatis eripuerat. In iis Breda recuperata; in iis Tornacum, quam in

Tornaci,

urbem revocati fuere cum religione Patres, imprimis Joannes Mortagua, qui in exercitu ipsi Duci fuerat a confessionibus, et Collegium tertio

Lovanii,

Calendas Decembres fuit restitutum. Lovaniense stetit consilio, et manu academicorum; quorum quatuor fere millia per civitatem fusa, per muros distributa, præeuntibus cum hasta gladioque Doc-

toribus, vocatis etiam ad arma in communi periculo, viris religiosis, perditorum conatus represserunt, et vim externam egregie repulerunt.

Societas in Transylvania vexatur ab Arianis.

Quos in Belgio tumultus Calviniani excitarunt, eosdem per Transsylvaniam ciebant Ariani. Indicta erant in Calendas Maii Comitia generalia Claudiopoli. Oblatam sibi putavere Patres Collegii Claudiopolitani occasionem disputandi in hoc nobilissimo consessu contra corruptores sanæ doctrinæ. Proposuerunt placita quædam catholica, et adversarios ad certamen invitarunt. Convenerant hæreseos ministri amplius quinquaginta. Jactatis ferocibus minis, cum ad diem dictam non adessent, eorum præses, quem Episcopum Evangelicum appellant, quasi omnium nomine responsurus virulentam satyram in Patres, in Romanum Pontificem, in catholica sacra jecit, auxilium implorans Nobilium adversus idololatriam Papisticam, et Jesuitas publicæ quietis perturbatores. Addebat animos improbo numerus hæreticorum ingens : sed longe audaciorem fecit intempestiva mors Christophori, Principis Transsylvaniæ, qui paulo post comitia, sexto Calendas Junii decessit. Ejus filius Sigismundus, et successor in Comitiis declaratus, octo tantum annos natus erat. Pueri tutelam cum Societatis et religionis patrocinio, suscepit Stephanus Poloniæ Rex, et Christophori frater, idemque jussit ut P. Joannes Lelesius Sigismundi regere mores pergeret. Nefarios Arianorum impe-

tus coërcuit tanti Regis nota pietas et fortitudo. Itaque unus e nostris Varadinum impune subiit, quæ civitas est permunita in limite Transsylvaniæ, Hungariam versus : alter ad Siculas profectus est (sunt isti Orientalis Transsylvaniæ populi Moldaviæ, et Valachiæ finitimi). Ambo Patres summis omnium ubique studiis excepti, fructum opinione majorem collegerunt. Quo successu provocati Socii quatuordecim, e Polonia in Transsylvaniam ali-
*anno 1584. quanto * post transierunt, paratamque similiter messem invenere. Præconibus erroris indictum exilium, ædes sacræ multis in locis restitutæ, lux Evangelii oblata cœcutienti populo, et cœlestis gratiæ fontes sacramentis administrandis reclusi. Tendebant supplices manus oppida, et pagi remotissimi sub Turcico gementes jugo; ipsimet Turcarum prætores, præfectique tuta præstabant omnia, satis gnari pacem et concordiam una cum studio virtutis et æquitatis a Patribus inferri. Tenuit hæc malacia usque ad annum MDLXXXVIII quo Transsylvaniam, et in ea demersam hæreticis procellis Societatem revisemus.

Missiones per Illyricum,

Per idem tempus Gregorius XIII aditum captans ad vicinas Illyrico Turcarum urbes, in quibus restabant adhuc miserabiles nominis Christiani reliquiæ, instaurari Missionem ad eas partes jussit. Olim hæc fuerat inchoata, cum profectus Ragusium Bobadilla, (quam urbem, nobilis Reipublicæ caput, Epidaurum novam aliqui appel-

lant,) totum hunc tractum, veteris Dalmatiæ partem peragravit. Idem opus Socii consequentibus annis prosecuti, magno indigenarum emolumento, per maritimam Illyridis plagam, usque in Macedoniam, et utramque Mysiam exspatiati sunt.

Longius procursum fuit in Silesiam, quæ ultimæ Germaniæ portio inter Bohemiam, cujus appendix quædam est, et Poloniam sedet. Caput Silesiæ Vratislavia, quam ab annis ferme quadraginta Lutheranum virus infecerat : et non paucos cives afflaverat pestis Calviniana. Hinc domesticæ lites, et quotidiana inter gemini erroris discipulos magistrosque bella. Præsul egregie pius lacerari gregem Christi docens, Societatis auxilium expetivit, eaque fuerunt Vratislaviensis Collegii primordia. Præter quamplurimos erroribus, vitiisque liberatos, Christianus Frankenius Societatis primum, deinde etiam religionis desertor, ad Ecclesiam, opera Patrum, se retulit, et quæ dixerat scripseratque, contra Societatem, recantavit. Qui licet a Catholica Fide non semel postea desciverit, probrosam tamen sacrilegamque levitatem anno MDXCI serio constanterque condemnavit. Imitatus Frankenium Simon Simonius Academiæ Lipsiensis clarissimus professor publice deposuit hæresim Pragæ, post diuturnum cum Societatis theologo certamen : sed in Barathrum relapsus, ex eo numquam, ut Frankenius emersit. In plerisque Bohemiæ locis, præsertim Lithomislii, ac Pilsnæ, per Silesiam,

depravati cum pietatis sinceritate mores ad pristinam sunt integritatem revocati. Græcii quoque, (Styriæ primaria civitas est) in conventu procerum, causa religionis fuit contra novitatis defensores, a Sociis propugnata.

et regnum Angolanum

Eadem et propagata, et defensa fuit in regno Angolano, tum voce per Socios, tum armis per Lusitanos. Quod geminum defensionis genus cum alterum alteri adjungitur, et amice conspirat, melius omnia faciliusque succedunt. Multa Rex Angolæ Lusitanis, ac præsertim celebres argenti fodinas, promiserat. Immemor promissi, ductabat illos verbis, et confici morbis atque æstivi cœli gravitate, lætus videbat. Offensi perfidiâ bellum parabant, cum numerosus et improvisus hostis incautos adoritur. Verum ille non repulsus tantum, sed ingenti affectus clade, ac pacem petere coactus est. Hæc victoria famulantem, et constrictam antea veluti religionem, in libertatem vindicavit. Facta Christi ministris potestas major docendi, concessa major auctoritas. Itaque Banzæ regulus, et Regis Angolani Socer, dignitate ac sapientia præpollens, una cum filio, nonnullisque proceribus Christiana suscepit sacra. Complures alios vis exempli, quæ omni argumento fortior est, ad imitandum induxit : ac præ cæteris Mocumbæ Regulum, qui ut omnem inconstantiæ, qua vulgo laborant barbari, opinionem et metum Patribus demeret, idola pridem a se adorata.

conculcavit, et e grege uxorum delegit unam, dimissis aliis, quam ritu Christiano sibi jungeret. Utriusque baptismus ingenti pompa celebratus. Catechumeni longo agmine processerunt, vestibus e serico panno candidis omnes induti. Sequebatur Lusitanus Prætor cum flore nobilitatis et militiæ : sacram cœremoniam publici magnificentia convivii cumulavit. Hoc spectaculo rudibus oculis animisque proposito, mirificus injectus est ardor cognoscendæ divinæ legis et profitendæ; adeo ut ipse Rex Fidei promulgandæ ostium ultro aperuerit. Unus e Sociis, Coansæ fluvii, in regni Angolano maximi, ripas legens, quadringentos Ecclesiæ adjunxit, præter illorum infantes vitali fonte ablutos; alter in Congi regnum Angolano proximum progressus, mille quingentos baptizavit : tertius alio evagatus, uno in pago plurimis Sacramento expiatis, idola comminuit, eorumque loco cruces erexit.

Non minori apparatu celebrati sunt in India publice baptismi duo : unus capitum quadringentorum in collegii Goani templo, alter in oppido S. Laurentii, ad tertium a Goa lapidem, sexcentorum : in quo etiam candidati Christianæ religionis non pauciores sexcentis, ad baptismum præparabantur. Plerique alii minori ac privata pompa, non minori pietate singillatim in populi fidelis album relati fuere. Lustrati a Patribus Vaipicotanæ sedis Thomæorum montes*: et cum gentis doctoribus disputatum. In ora Piscaria sex- Res gestæ in India,

* *vide supra an.* 1577.

decim e nostris occupatissimam, et utilissimam expeditionem peregerunt. Confessiones ab ultima ætate repetitas numeraverunt ad nongentas. Crebris miraculis doctrinæ veritas confirmata. Brasilos mille ac trecentos Ecclesia mater in ora Bahiensi adoptavit : qui numerus tanto pluris æstimari debet, quanto gens tota remotior a Dei regno videbatur. Suscepta quoque ab iisdem Sociis Bahiensibus difficillima peregrinatio ad montem Barim, longius a mari distantem, et ab immani præter cæteras natione occupatum. Vastæ interjacebant sylvæ, inviis horrentes rupibus, torrentibus, ac fluviis prælatis abruptæ; regio belluis ac draconibus infesta, nihil ad vitam victumque suppeditans, nisi si qua forte occurreret fera, difficili, et sæpe inutili venatu persequenda. Lucro apponebant, si quis in eos serpens lethali veneno armatus incurreret : huic periculi contemptrix fames bellum inferebat; cæsum hostem, et igne purgatum in escam vertebat. Hujus nationis indigenæ ducenti in vicinos Soteropoli pagos deducti, et salutis æternæ mysteriis imbuti sunt.

et in Brasilia.

In Japonia plures baptizati Reges.

Vicit Indiam et Brasiliam Japonia; si non fortasse baptizatorum numero, certe, splendore ac dignitate. Rex Tosæ, cui nupta erat Regis Bunzi filia. Rex Bomi, Fiungæ Regina, cum filiis coronas suas, ut illi seniores a Joanne conspecti ante Agni thronum posuerunt, eumque Regem Regum ac dominum agnovere. Amacusæ insulæ Regulus per

præconem edixit, ut verteret solum quicumque converti ad Christum nollet. Valignanus Riozogum Regulum, qui cum Protasio Rege Arimæ inimicitias, et grave bellum gerebat, ad pacis conditiones adduxit : quibus utrimque acceptis, arma cum odiis fuere deposita. Hoc divinæ bonitatis pignore sic obstrictum se Rex Arimæ sensit, ut quadraginta, quot erant in suo regno præcipua fictorum Numinum templa, everterit : Bonzios omnes patriam, aut superstitionem, deserere coegerit. Paucis diebus interjectis Arimæ Regina, conjux Regis Protasii suscepto rite baptismo, maritum est imitata. Quieverat sane Riozogus, et pacis conditionibus aliquamdiu steterat : verum tanta templorum strage, tam gravi Numinum, ut aiebat, injuria provocatus, Bonziorum etiam ignominia et clade læsus, resumit arma, bellum denuo movet, ac primariam regni Arimensis civitatem Ximabaram cum XXV armatorum millibus obsidet. Non dubitavit Protasius, ope divina fidens, obviam hosti procedere, licet copiarum numero inferior. Hæsit anceps prælii fortuna, donec in mediam hostium aciem irrumpens Christianorum globus Riozogum in lectica sedentem, cæsis circa custodibus, obtruncavit. Amisso duce miles turbatis ordinibus salutem fuga quæsivit : pax et quies Arimensi, vicinisque regnis parta fuit.

Lætus victoria Rex Protasius Valignanum libenter audivit suadentem ut Arimæ poneret Collegium Arimæ.

collegium, ubi juventus bonas artes et pietatem doceretur. At P. Organtinus probe intelligens quanti esset momenti Nobunangam habere Christianis propitium, ad eum salutandum profectus fuerat ineunte anno. Exceptus singulari honoris et benevolentiæ significatione, sermonem cum ipso bene longum habuit de religione, cujus sanctitatem nec videre non poterat Princeps rerum æstimator sagax, nec tamen amabat, quippe ambitioni suæ ac libidinibus contrariam : adeo non bene conveniunt, nec stare simul possunt vera pietas, et libidinosa vita! Quantum sinceram virtutem et minime fucatam laudabat in Christi cultoribus, tantum ejus simulationem oderat in Bonziis; quos inter cum fuisset exorta per eos dies gravis altercatio, arbitrumque Imperatorem pars utraque delegisset, ita litis arbitrium ille suscepit, ut plectendos capite, qui causa caderent pronuntiaverit. Joco dictum putabant. Lite concertata et dijudicata, victos trucidari ad unum jussit; victores exilio multavit. Condebat ambitiosus Princeps urbem Anzuquiamam, et ita ornabat ut Japoniæ miraculum foret, atque immortale nominis sui ad posteros monumentum. Libellum Organtinus obtulit, quo petebat ut liceret sibi domum Societatis et templum in ea ponere. Nemo concedendum putavit; quippe constabat negatam multis præpotentibus Bonziis ædificandi hac in urbe cœnobii facultatem. Nihilominus non

Organtinus excipitur a Nobunanga perhumaniter.

Anzuquiamæ domus.

solum benigne annuit, verum etiam locum ipse delegit amœnissimum, et a multis Principibus viris, qui novam urbem frequentare gestiebant, expetitum, utque statim ædificium inchoaretur, jussit. Quin etiam addidit Collegio Seminarium in quo pueri nobiles ad pietatem ac litteras informarentur. Cum P. Valignanus ingentes pro tam inusitata benignitate gratias ageret, ab eo deductus est ad visendam Anzuquiamæ arcem et regiam domum. Discedenti donavit Imperator aulæum operis exquisiti, in quo tota videbatur Anzuquiama, picta phrygionis excellenti manu. Perspectus Nobunangæ in Societatem favor nonnullorum dynastarum animos nobis infestos aut fregit, aut mitigavit. Sed perspecta religionis sanctitas perculit omnino ac vicit, non sine magna populi admiratione, principem Bonziorum, et Sacrorum Antistitem, quam dignitatem Fuynum vocant; ea nostro Archiepiscopatui respondet. Erat olim iste Fuynus Reginæ Bungi et filiorum ejus magister, ac rituum Japonicæ Idololatriæ moderator; hac arte congestis opibus dives, fama quoque prudentiæ doctrinæque commendabatur. Ad sacrum accedens fontem insignia profanæ præfecturæ deposuit, ac vitam deinceps homine Christiano dignam instituit. In ampla valle, quam Yu nominant, regulus duo millia suorum ad Christum traxit. Huic valli tres alii dynastæ imperitabant. Ad eos Franciscus, Rex Bungi senior, litteras

dedit, quibus ipsos hortabatur ut aures divinæ legis doctori dare ne gravarentur. Quam ubi, explicante P. Caprale audiverunt, nihil moræ fuit, quin eam veram, sanctam, ac sibi suisque amplectendam ducerent.

P. Rogerius primus in Sina figit domicilium.

Sic Japonica Ecclesia viris ac virtutibus magis magisque aucta, fundebat se in dies latius : Sinica ægre nata, ægrius adolescebat, obstructo, quo sæpe frustra pulsatum fuerat ostio. Illud recludere meditans Valignanus, Indiæ Visitator, P. Michaëlem Rogerium Italum anno MDLXXIX acciverat ex India, qui Sinensem linguam et litteras Macai condisceret. Iis utcumque imbutus addidit se socium hoc anno Lusitanis, Quamcheum urbem Sinicam, commercii causa petentibus. Dura lex illis a principio dicta fuerat, ut extra navem pernoctare, aut hospitium in terra capere, ipsorum nemini liceret. Hac lege solvi cupiens Rogerius, quæ si semper valeret, Sina in perpetuum Evangelio clausa restabat, progreditur ad salutandos magistratus, atque in primis maris præfectum, cujus potestatis erat dare facultatem ponendi in urbe domicilii. Hunc cæteris humaniorem expertus coluit aliquandiu, salutator assiduus, et ab eo vicissim peramanter et honorifice accipiebatur. Jubebat enim sibi ad latus stantem confabulari, cum nemini, etiam Mandarino, aliter eum alloqui, quam positis humi genibus, liceret. Provocatus tam insolita et inexpectata benignitate Rogerius

componit Sinica lingua libellum supplicem, ipsique offert. Narrabat colere se Deum creatorem cœli ac dominum, eique quotidie, ubi facultas esset, sacrificare; id se non posse in navi præstare : ita quippe suæ religionis ritibus præscriptum esse ut sacrificium in terra fiat. Præterea se in Mathematicis disciplinis, et Astronomicis rationibus non indiligenter multum temporis et studii collocasse, quibus cum sciret litteratos Sinenses insigniter excultos, cupere se quæ didicerat, eorum usu et consuetudine perpolire. Idcirco supplicare ut sibi liceret domum in urbe, modo fieri sine cujusquam damno et incommodo posset, conducere. Visa est æqua et honesta petitio. Itaque domum, illi assignari jussit, Edictoque per præcones promulgato vetuit ne quid injuriæ hospiti Europæo fieret. Rei novitas, et peregrini doctoris, quem Præfectus maris magni faceret, gliscens per urbem fama plurimos ad eum visendum excivit, ac præcipue litteratos, quorum isthic magna et illustris natio est. Omnibus nativa comitate, nec vulgari eruditione Rogerius satisfecit. Eamdem illi copiam domicilii fecit post paulo Prorex, sive gubernator supremus, imo ampliorem domum in qua paulo antea Legati Regis Siami excepti fuerant attribuit.

In Mexico Collegia,

Non uno sed multis aucta est America domiciliis. Erat in Mexicanæ provinciæ urbe Pascuaro domus Societatis consuetis nostrorum ministeriis utiliter insistens. Sed cum Episcopalis sedes Pas-

cuaro transferretur in oppidum ejusdem Mexici, cui Vallisoleto nomen, nostri migrandum cum Episcopo id postulante censuerunt. Pascuarensibus tamen aliquot Socii sunt relicti qui opem civibus optimis afferrent eo potiori jure ipsis debitam, quod Societatem sub ejus primum in Novam Hispaniam adventum accepissent. Limanum in Perua collegium jam inde ab anno MDLXVIII habitari cœptum, nunc certis ac perennibus fundatum vectigalibus fuit. At inchoatum est a fundamentis Collegium Chaquiavense, in eadem Perua, conditore Joanne De Ribos nobili equite. Item Pacense in urbe Pacis quod pia civium liberalitate natum, eadem paulatim crevit. Deducta pariter ex Nova Hispania colonia nostrorum in insulas Philippinas. Opus hoc proprie sequentis anni fuit.

et in Perua.

Annus Christi 1582 : Societatis 43.

Ingreditur Societas in Philippinas insulas.

Jacent insulæ Philippinæ infra Sinas, et infra VI et XVI ab æquatore, Boream versus, gradum. Occupatæ, fuerunt ab Hispanis anno MDLXIV et in honorem Philippi secundi, Regis Catholici, dictæ Philippinæ. Quadraginta circiter majores numerantur, sparsis promiscue aliis minoribus. Primaria omnium Manila, sive Lutzonia, a qua omnes interdum appellantur Lutzoniæ. Dominicus de Salazar, Dominicanus, creatus Philippinarum primus Episcopus, cum ad eas e Mexico se conferret, præter alios religiosos Sacerdotes, tres e Societate

anno MDLXXX secum duxit. Illi exploratis rebus, rediere Mexicum ut comparārent quæ ad novum in istis insulis domicilium opus erant, et hoc anno reversi Manilam, sedem exiguam ibi posuerunt, cui paulatim auctæ nomen collegii datum anno MDXCIII. Variæ subinde in adjacentibus insulis collocatæ stationes, et Socii complures annis consequentibus advecti, recentem agrum Evangelico semine conseverunt.

Japonia bello civili turbata.

Antequam hunc Orientis tractum deseramus, juvat vicinam Philippinis Japoniam, mox Imperium Sinense, Indiamque prospicere. In Japonia, Nobunanga, penes quem summa rerum potestas erat, elatus felicitate sua, coli Numinis instar voluit; erecto ingenti templo, in quo statuam suam novus Nabuchodonozor adorandam proposuit. Fregit Deus qui superbis resistit superbiam impii Principis. Gerebat jampridem inimicitias cum Rege Avæ. Hunc ut perderet, ejusque regno potiretur, ingentem scribit exercitum, cui duces præficit, sibi, ut putabat fidos et amicos, clam inimicos. Et est ea sors nimiæ insolentisque fortunæ, ut invidos complures et adversarios pariat. Æquales amicitia postulat; ambitio inferiores omnes optat ac subditos. Inter istos duces Aquechius cæteris audacior, et Nobunangæ infensior, occasionem inimici opprimendi, et occupandi etiam imperii, si faveret fortuna, captans, exercitus maximam partem, et fortissimam, cui præerat,

omisso Avæ regno, Meacum ducit, simulans ita sibi mandatum ab Imperatore, qui hac in urbe vacuus metu considebat. Is ut audivit adesse cum Aquechio milites, seque domi suæ obsideri, profert e fenestra caput, sed repentina telorum grandine petitus, dum stricto gladio in obvios prorumpit, vulneratur, atque semianimis in conclave prorepit, ubi flammis in palatium undique injectis consumptus est decimo octavo Calendas Quintiles. Alii duces cum Aquechio conjurati, Meacum irrumpunt, contrucidant amicos affinesque Nobunangæ : mox Anzuquiamam concurrunt, thesauros imperatoris, et quidquid per vim et rapinas quindecim annorum labor avarus congesserat, momento diripiunt. Urbs ipsa, Japoniæ miraculum, in qua extruenda tot manus tamdiu sudaverant, concrematur. Interim Faxiba, Justus Ucondonus, aliique ductores copiarum, conjurationis expertes, quorum plurimi Christiani, postquam cæsum nefaria proditione Nobunangam audierunt, in conjuratos arma vertunt. Victus acie Aquechius, dum fuga elabitur, a rusticis obtruncatur. In hoc tumultu eluxit singularis erga Christianos Dei tutela. Illos publicæ cladis exortes Aquechius, Meacum ingrediens, esse jusserat, utiles consiliis suis fore arbitratus. P. Organtinus tempestatem prospiciens, priusquam civilis turbo in urbem Anzuquiamam detonaret, ex eo mature se receperat in vicinam insulam cum alumnis

Seminarii; quo in ruinis et busto Anzuquiamæ sepulto, Justus Ucondonus adolescentes transtulit in arcem suam Tucaruquiensem. In hac rerum perturbatione, in his imperii tenebris divina lux Bonziis duobus mirabiliter affulsit. Alter ingenii doctrinæque fama tumens, beneficium Regibus dare se putabat, cum eos erudiret, itaque sedens ab iis stantibus audiebatur. Cognito Evangelio sic immutatus est, ut diuturnis vigiliis elucubrata plurima volumina totidem servorum humeris imposita, cum reliqua superstitionis suppellectile pro templi foribus incenderit; et palatium, ubi regaliter habitabat, Patribus obtulerit, convertendum in ædem sacram, cujus esset ædituus, et ubi sacrificiis quotidianis ministraret. Alter severæ virtutis nomine gloriam pariter inanem captans pedibus nudis, et media in hyeme pene spoliatus, inedia et macie deformis, celeberrima Japoniæ delubra perlustrabat. Nangazachium delatus, et Patrum charitatem ægrotis etiam ex infima et egena plebe, dum pestilentia grassabatur, inservientium contemplatus; hæc vera est, exclamavit, ac divina lex, eique se addixit, ut solidam ac meliorem in cœlo gloriam consequeretur.

Japonica Legatio ad Pontificem missa.

Sed nihil religionem sic illustravit, ut Legatio solemnis a tribus Japoniæ Regibus Christianis ad Romanum Pontificem destinata. Profecturus erat P. Alexander Valignanus, Indicæ Societatis provinciæ Visitator, in Europam ut Præpositum Ge-

neralem Claudium Aquavivam de Religionis et Societatis in Japonia statu certiorem faceret. Occasionem hanc libentissime arripuerunt Franciscus Rex Bungi, Protasius Arimæ, et Bartholomæus Omuræ, conveniendi per legatos suos Romani Pontificis, eique venerationem debitam, et obsequium deferendi. Probavit summopere consilium Valignanus, seque deducendis in Europam legatis ducem obtulit. Amplum et honorificum Ecclesiæ Romanæ putabat fore, si Reges extremi Orientis in ejus verba legesque consensu consilioque coram jurarent. Tum vero comprimendum Japoniæ fastum credidit, quæ gentium cæterarum opes et instituta præ suis contemnere solebat: aliam ipsi mentem futuram cum Europæ regna, cum Romanæ sanctitatis et gloriæ lucem e suis legatis cognosceret. Delegit Rex Bungi Mancium Itum, Regis Fiungæ consobrinum, e regia Itorum familia oriundum, annos natum circiter sexdecim. Non multo plures numerabat Michael Angiva, lectus a Regibus Omurano et Arimensi, utriusque consanguineus. Adolescentes mitti placuit, quia compertum erat Japones ætate provectiores alieno et peregrino cœlo non consuescere. Duobus istis legationis Principibus additi sunt Julianus Nacaura, et Martinus Fara, juvenes ambo, et summo genere nati : ipsis et eorum comitibus ephebis nobilibus moderator ac magister appositus P. Georgius Loyola et ipse Japon. Egressi Nangazachio decimo

Calend. Martias, Macaum VII Idus Martias, Malacam vero sexto Cal. Februarias anni sequentis, et Goam exeunte Aprili tenuerunt. Ibi dum repetendæ navigationis idoneum tempus opperiuntur, accipit Valignanus felicis turmæ ductor, ab Aquaviva litteras, quibus Indicæ provinciæ curam susciperе jubebatur. Itaque suas ducendorum in Europam legatorum partes commisit P. Jacobo Melquitæ, qui cum ipsis Goa solvens, Olisipponem quarto Idus sextiles anni MDLXXXIV subiit. Excepti perquam honorifice Madritum contenderunt, senescente jam autumno, et a Philippo II auditi summa cum benignitate muneribusque amplissimis ornati, Romam denique XI Cal. Apriles anni MDLXXXV attigerunt. Illuc eos prosequemur postquam res gestas triennio quod fere spatium in itinere consumpserunt exposuerimus.

Domicilium in Japonia stabile.

Pedem figere cœperat in imperio Sinico Societas. Favebant præter omnium spem benigni magistratus. Tam inexpectatus favor excitavit priscos superbæ gentis et suspiciosæ metus. Externos homines tot edictis semper exclusos, toties Imperio prohibitos, nunc in omnium conspectu apparere, audiri, celebrari! Hæc ad aulam delata. Litteræ minaces ad provinciæ gubernatorem perferuntur, eique datur negotium, non modo ut novos ejiciat hospites, sed etiam ut videat num periculi quidpiam a Lusitanis Macaensibus immineat; id si cognoverit, tunc exscindat Macaum, et advenas

inde omnes exturbet. Citantur ad Proregis tribunal Lusitani Macaenses. Ivit una Rogerius, qui cum Sinensem linguam et gentis mores nosset, ita pro Lusitanis et Societate peroravit, ut nihil contra æquitatem ac debitum magistratibus obsequium fuisse peccatum ostenderet. Placuit oratio Proregi, ejusque assessoribus, Rogerii comitate ac prudentia pridem conciliatis. Non modo confirmatur pristina facultas possidendæ atque habitandæ domus in urbe Quamcheo, quamdiu naves Lusitanæ tempore nundinarum, starent in anchoris; verum etiam Sciauquinum, quæ urbs Proregis sedes, Rogerius invitatur. His auditis Socii Macaenses ausi sunt, quod numquam antea tentandum putaverant, Sinenses aliquot indigenas Macai commorantes candidatos Religionis Christianæ, donare sacro baptismate; imo Valignanus qui cum legatis Japoniis Macaum advenerat, domum accipiendis erudiendisque catechumenis assignavit, et sodalitium Sinensibus neophytis in pietate perpoliendis erexit. Ecce autem P. Matthæus Riccius, Missioni Sinicæ ab eodem Valignano destinatus et evocatus ex India, subiit Macaum sextili mense hujus anni, magnamque de se statim exspectationem, nec vanam fecit. Auxit lætitiam diploma Proregis quo Rogerius Sciauquinum properare jubebatur. Venienti percommoda offertur domus, et omnia urbanitatis officia prolixe deferuntur. Honor tantus, tam præter morem Sinicum exteris habitus, con-

flavit invidiam gravem Proregi. Accusatus ab æmulis, quibus magna semper laborat fortuna, movetur gradu, et in aulam, ut causam dicat apud Imperatorem, arcessitur. Patres eo monente Sciauquinum trepide deserunt, vixque post multas concursationes et molestias obtinent ut in urbe Quamcheo, prima sua statione, ad tempus consistant. Ac ne hic quidem diu constiterunt. Macaum redire jussi, cernebant non sine summo dolore interclusum sibi omnino aditum ad Sinas tanta mole quæsitum : cum repente gravia quædam negotia et pericula Imperatorem, et aulam Sinicam concusserunt. Domesticæ curæ metum et solicitudinem de Lusitanis et externis parumper distulerunt. Amici Patrum ad eos revocandos per eam occasionem appulerunt animum adhibitis in eam rem nummis, quorum ubique potestas magna, in Sinis longe maxima : novus magistratus, ab iis rogatus, et Patribus æquior, revocat ipsos Sciauquinum, et aream domui ponendæ concedit. Jacere fundamenta cœperant, cum quidam e primoribus civitatis, cui datum erat negotium publici ædificii prope hunc locum construendi, litem ipsis intendit, cogitque, deposita ædificatione, aliam procul aream quærere. Inventa demum est, et absolutum cum Sacello domicilium : cui appensum diploma perhonorificum testabatur solum illud ac domum in stabilem possessionem optimo jure Patribus dari, et inquilinorum quieti ac securitati caveba-

tur. Continuo Patres operi Evangelico manum admoverunt, et sub finem anni MDLXXXIII P. Rogerius Christianæ doctrinæ summam vulgavit; Mandarinis valde probantibus, et librum esse præclarum utilissimumque affirmantibus. Hujus libri caput aliquod ad densam et perattentam civium coronam quotidie Patres Rogerius, et qui venerat cum eo Sciauquinum, Matthæus Riccius, explicabant, cunctis admirantibus, quibusdam assentientibus, et aquam peccatorum deletricem (sic baptismum appellabant) flagitantibus.

Goæ et in ora Malabari præstantes Neophyti.

Pauci tamen illi principio fuerunt, præ illis quos Goanus ager et totus Malabaricus tractus efferebat præstantes et valde numerabiles neophytos, et pietate sua plus etiam quam numero commendandos. Quo loco prætereundum silentio non videtur pueri quatuordecim annorum egregium facinus, qui cum videret matrem suam a Mauris longe abductam in servitutem, ad eam se contulit vindicavit in libertatem, vindicatam reduxit in patriam, erudivit, utque fieret Christiana laboravit. Erant obnoxia et subdita Collegio Bazainensi minora quatuor Societatis domicilia, sive, ut vocamus, Residentiæ Fanaensis, S. Trinitatis, S. Joannis, et Bandorensis. In iis omnibus colonorum diligentiæ ubertas messis respondit: nec non tribus in Residentiis Corinensi collegio contributis. Prima, Vaipicotana Thomæis consuetam operam dedit : altera, in regno Muertæ,

lætas in præsentia fruges, et lætiores in posterum spes obtulit. Negata duodecim annis ab ethnico Rege templi Christiani ædificandi copia, tam liberaliter ab eodem est concessa, ut moram beneficii modus compensaret. Tertia statio, cui S. Jacobi in palude nomen, totam regionem brevi sperabatur idolorum sordibus expurgatura. In ora Travancoris sacras ædes quatuor et viginti, Christianos ad novem millia Societas excolebat.

P. Cottamus ab Anglis crudeliter neci datur.

Hunc religionis successum, et felices Societatis ærumnas, cum ex Indicis nostrorum litteris cognoscere soleret Thomas Cottamus, Anglus Londinensis, Germanici in urbe collegii alumnus, ingens eum incessit cupido Indos adeundi, et adjuvandi. Quod cum alia ratione nulla confici facilius posse crederet, quam si nomen daret Societati, dedit et admissus domum Probationis est anno MDLXXIX ineunte Aprili, natus annos triginta. Inchoatum Romæ tirocinium, absolvere nequivit, hectica implicitus febri : quam ut fugaret mutato cœlo Remos in Galliam, et Seminarium ibi Anglicanum, venit. Eo cum tenderet, incidit in Anglum sceleratum, detegendis et prodendis catholicis exercitatum. Sleddus nebuloni nomen; vultus, vox, catholicæ religionis ementita professio, omnia denique ad fraudem et simulationem composita. Venabatur præsertim Sacerdotes Anglos, in patriam revertentes, quorum in familiaritatem adrepens notabat ipsorum oris linea-

menta, totius corporis conformationem, staturam, ætatem, tempus reversionis in Angliam, ac reliqua singillatim unde cognosci certo possent. His observatis, admonebat regios præfectos, et exploratores; nemo ut subiret portum quin esset visus antequam aspiceretur, et pene ante cognitus, quam cognosceretur. Descriptus hunc in modum a Sleddo Cottamus, et agnitus in ipso limine Angliæ, statimque comprehensus fuit. Patriam repetebat valetudinis causa, cui cœlum Gallicum non favebat. Quibus suppliciis per biennium in carcere tentata fuerit ejus constantia, quoties distentus in equuleo, calcibus, pugnisque contusus, stimulis fodicatus, nec promptum est Historiæ enumerare, neque Angliæ decorum. Unum duntaxat referam, novitate tormenti non minus quam immanitate præcipuum, ab inventore et parente Schavingero, Filia Schavingeri denominatum. Totum corpus trifariam ita complicabatur, ut pectus pronum incumberet genibus : crura retro femoribus admoverentur. Membra deinde sic alia aliis oppressa includebantur prægrandi circulo ferreo, paulo infra pronos humeros ad crurum tibias ducto, exstantibus extra circulum hinc capite, et genibus, inde ultima dorsi parte ac pedibus. Porro circuli ambitus sensim contrahebatur coëuntibus et consertis summis ejus partibus, hunc in usum sectis ac divisis donec minimum in orbem collectus inclusa

membra premeret, elideret, et prope comminueret dolore tanto, ut produci cruciatus ultra sesquihoram non posset incolumi vita. Certe referebat Cottamus sibi sanguinem e pedibus extremis ac manibus exsudasse, cratesque pectoris ita convulsas ut fatiscerent ac pene rumperentur. Quam crudelitatem non dubitavit judicibus attonitis et obmutescentibus exprobrare. Illi vero cum virum fortem tormentis vinci posse diffiderent, promissis ac blanditiis expugnare conati sunt. Jam subvectus ferali plaustro ad patibulum constiterat, jam revinctis manibus restem collo implicuerat, cum subito in humum demittitur, et vinculis solvitur. Tum Vicecomes Londinensis cui mandata supplicii sumendi cura : satis intelligimus, inquit, te in Angliam venisse, ut valetudini consuleres, tuaque consilia longe abhorrere a consiliis improborum, quos in patriæ perniciem conjurasse manifestum est. Næ tu sapienter, et recte fecisti, qui proditores illos et seditiosos imitari nolueris. Eam ob causam dignum te judicamus qui Reginæ clementia gaudeas. Quæ Cottamus audiens, vitamque sibi vere donatam existimans incipiebat Reginæ gratias agere, cum Vicecomes : Nempe hoc superest, inquit, ut coram populo profitearis non eas tibi causas fuisse in Angliam veniendi, quæ cæteris modo cæsis; sed eorum ac Papæ consilia tibi maxime displicere. Hic vero cognitis hæreticorum fallaciis : neque ego sum nocens, exclamat

audiente populo; neque isti quos interemistis, conjuriationis ullius in Reginam, aut patriam fuere conscii : sed eos falso nomine proditionis, vera catholicæ religionis causa damnastis. Apage te cum hac tua Reginæ clementia. Non, si mihi sexcentæ promittantur vitæ, totidemque regna, desciscam vel tranversum unguem a catholica Fide. Age lictor, confice. Simulque collum rursus laqueo inserit, ac Deum pro Angliæ salute, deprecatus *agonem et cursum feliciter consummavit :* tertio Calendas Junii. Cum vestes cadaveri detraherentur ad solitam carnificinam, inventus est horrido præcinctus cilicio, quasi descendere in arenam sine armis ejusmodi noluisset. Ea res magnam populo movit admirationem, opinionemque publicam de illius innocentia confirmavit. Sed his non sine dolore de Anglia commemoratis, lætiora de Moscovitis audiamus.

Pax inter Polonos et Moscovitas.

P. Antonius Possevinus, cui negotium pacis inter Polonos, et Moscovitas componendæ datum a Gregorio XIII fuerat, eo denique perduxerat Magnum Ducem post varias altercationes, ut de Livonia Polonis restituenda, licet ægre, assentiretur. Quo capite constituto, et aliis momenti minoris, facile transactis, nihil moram afferre paci posse videbatur, cum illam una vocula fere disturbavit. Postulabat Moscovita ut cum acta pacis conscriberentur, appellatio *czar* ipsi tribueretur. Hanc vicini Principes communiter ei denegabant,

quia recens, et a Joannis Basilii, Ducis tum Magni, patre primum erat usurpata: tum vero quia ducta videbatur ab antiqua voce *Cæsar*, et imperatorem, seu dominum, et Regem sonabat. Quievit tunc quidem Princeps, ne confectum prope negotium intempestiva obstinatione corrumperet : postea tamen perfecit ut hunc titulum deinceps quasi proprium obtineret. Conclusa pax et obsignata fuit XVIII Calend. Februar. Ejus capita rite conscripta, collocata sunt in altari magnifice adornato, post rem divinam a P. Possevino factam. Crucem in ara positam osculati fetiales primum Moscovitæ, deinde Poloni, pacem jurejurando confirmarunt, et ratam esse jusserunt. Ea sic feliciter ad exitum perducta restabat causa religionis in qua feliciter conficienda sperabat Possevinus post compositam pacem, negotii nihil fore. Itaque ex oppido ubi congressus cum fetialibus fuerat, Moscuam redire properavit, ut de hac altera parte commissi sibi a Pontifice negotii, cum magno Moscoviæ Duce ibi tractaret, quemadmodum inter ipsos anno superiore convenerat. Duos e nostris reliquerat in hac urbe, qui catholicos ritus, occasione data populo insinuarent, et animos civium veluti præpararent. Eos magno cum dolore invenit, instar captivorum habitos, angusto clausos tugurio, appositis ad ostium custodibus, ne cui aditus ad ipsos pateret. Tractati principio fuerant magno cum honore, deinde aula exclusi, denique

Moscovita respuit Catholicam religionem.

civium colloquio, et consuetudine prohibiti. Mutatum Principis animum Possevinus, et mutationis causas facile intellexit. Primam quidem odium Latini seu Romani nominis, tam alte Moscovitis omnibus insitum, ut cum alicui malum precantur, non alio graviore verbo illum feriant, quam isto, *Faxint Superi ut Latinus aliquando sis.* Accedebat huc propria quædam Ducis indoles, atrox, aspera, crudelis : cujus triste documentum illis ipsis diebus dederat. In regiam uxor ejus filii venerat parum decenter, ut putabat, vestita. Subeuntem impacta ori manu, mox scipione, gravidam percussit; adeo ut corruens inclusum alvo fœtum et immaturum ejecerit. Accurrit maritus, et immanitatem patri dolore justo percitus, exprobravit. Quem crudelis genitor eodem scipione, ferrea cuspide præfixo, interemit. Quid mirum si Societatis homines tam duriter acciperet, qui sic sæviebat in suos? Sed illum in catholicos etiam inflammaverant Angli mercatores Calviniani, et medicus Batavus ex Anabaptistarum schola, qui tum sermonibus maledicis, tum vero scriptis Romanum Pontificem eo colore describebant, quo Antichristus, aut Princeps tenebrarum, pingitur.

His imbutus Princeps vehementer est abalienatus a Pontifice et Possevino. Non est ausus tamen id præ se palam ferre, ne parum gratus erga Nuntium Apostolicum recentis auctorem pacis videretur, præsertim antequam pacta con-

venta exitu et executione firmarentur. Itaque illum et verbis amplissimis et muneribus prosecutus, Gregorii XIII postulata disceptari coram proceribus voluit. Petierat Pontifex ut Nuntiis suis liceret per Moscoviam iter liberum et expeditum habere quocumque mitterentur : itemque catholicis mercatoribus commercii causa ultro citroque commeantibus, eorumque sacerdotibus. Utrumque Princeps, quamvis negatum anno superiore, annuit; modo tamen (addidit) nulla sit ædes sacra publica, neque cœtus ullus habeatur, cui populus intersit. Lætus promisso tam inexspectato Nuntius Apostolicus, ingredi paulatim conatus est in causam religionis, deque Romani Pontificis auctoritate in omnes qui Christiano censentur nomine modeste graviterque disseruit. Cui respondere Princeps, licet ingeniosus non posset, et elabi frustra niteretur, tandem in arctum compulsus, et veritatis impetum non sustinens : *Frustra,* inquit, iratus et paulum assurgens, *frustra Pontificem Romanum Ecclesiæ Pastorem vocas.* Enimvero silendum illic sibi non putans defensor æquitatis. *Atqui,* subjecit elata paulum voce, *hunc Pontifici Romano titulum majores tui, et tute ipse in litteris ad eum anno superiore scriptis tribuisti.* Ad hæc verba excandescens Moscovita erexit se ac scipionem intentans ferreo mucrone armatum, putabatur illo Possevinum confixurus, quo sæpe modo alios et nuperrime filium suum,

interfecerat. Sacerdos intrepidus modesta, nec minus libera, oratione lenivit impotentem animum, ac nonnulla quæ ab Hæreticis inepte falsoque de summis Pontificibus jactantur, egregie confutavit. Princeps iram premens, aut dissimulans, sibi cumulate satisfactum esse respondit : imo Possevinum postridie revocans, excusavit si quid pridie sibi excidisset minus honorifice dictum de Romano Pontifice, idque pro indicto haberi voluit, ac ne qua fieret ejus apud Gregorium mentio, rogavit. Eo fidentius Legatus Apostolicus disputavit de religione cum Senatoribus a Duce Magno delectis, quibus et inscitiæ pudorem incussit, et cognoscendi veri cupiditatem injecit. Ergo, ipsis postulantibus exaravit lucubrationem eruditam, cujus pars prior complectebatur præcipua doctrinæ capita in quibus Græci a Latinis dissident; posterior Moscovitarum errores refellebat. Laudavere librum, quamvis inviti admodum, senatores. Doluit Princeps tam male defensam ab iis fuisse causam Schismatis; et in ejus honorem aliquid obtinere per insidias conatus est. Quippe captato tempore quo Patriarcha Russorum cum suis Episcopis, et reliquo clero in primarium Moscuæ templum convenerat, processit ipse stipatus numerosa nobilitate, et ante vestibulum templi consistens Possevinum invitavit ut secum in templum subiret, quasi visendi causa. Id agebat nimirum ut gloriari ac prædicare posset Legatum

Pontificium sacris Ruthenicis interfuisse, eaque a Romano Pontifice comprobari. Sensit dolum Legatus, ac palum professus est, quamdiu Patriarcha ejusque præsules communionem sedis Apostolicæ respuerent, nihil sibi cum ipsis rei fore. Perculit impios antistites viri fortis constantia : et eorum unus quia Possevino apertius favebat, spoliatus dignitate, atque exilio mulctatus est.

Moscovita desperans frangendam Legati fortitudinem et personam lenitatis, quamvis valde a suis moribus abhorrentem, sustinendam sibi ad extremum usque ratus, discedentem stipari jussit a trecentis nobilibus; liberos in ejus gratiam dimisit quamplurimos Italos et Hispanos, aliosque bello captos : novum destinavit Legatum ad Pontificem, gratias agens quod sequester pacis inter Polonos et Moscovitas conciliandæ fuisset, certumque sibi esse affirmans amicitiam cum ipso pacemque perpetuam colere. Gregorius ut beneficium beneficio cumularet, ad Ruthenos et Moscovitas erudiendos Seminarium Vilnæ in Lithuania constituit. Tam gloriosa pax tam necessaria primus exstitit e Possevini legatione fructus; alter, parta religioni securitas in Moscovia; tertius, ejusdem veritas primariis viris compluribus oblata, et ab iis accepta; quartus, procuratum catholicis sine pastore degentibus Ruthenos inter Lutheranos et Calvinianos subsidium, relicto ibi e nostris uno qui curam illorum gereret. Adde postremo demon-

stratam auctoritatem Ecclesiæ Romanæ ac dignitatem, quam antea Moscovitæ aut ignorabant, aut despiciebant : eamque publice privatimque defensam, ac libris in populum sermone Græco, et vernaculo sparsis : quasi per totidem præcones promulgatam.

Quantum a Romanis sacris alienus erat Moscoviæ Dux, tantum iisdem deditus erat Stephanus Poloniæ Rex. Ille Livonia jam pacata fruens, Moscovitis, ut recenti fœdere cavebatur, ea cedentibus, aliquot Societatis Sacerdotes in eamdem secum duxit, collapsam miserandum in modum religionem restituere cupiens. Rigam ingressus, Livoniæ caput, et celeberrimum ad ostia Dunæ fluminis emporium, Divi Jacobi templum hæreticis ereptum Societati tradidit, in eoque sacris concionibus ac divinæ rei, magna commendatione regiæ pietatis, interfuit. Hæc fuerunt Collegii Rigensis primordia, odio hæreticorum et sævis conatibus inquieta, qui non contenti Socios calumniis et contumeliis incessere, ipsos saxis gladiisque non semel appetierunt. Petrus quidem Scarga, qui nostris ibi præerat, Rege jam digresso tantum non ab iis in ipsa æde sacra confossus est. Facta sunt pariter fundamenta collegiorum Niesvisiensis, et Lublinensis. Est Niesvisium Russiæ, quam Albam vocant, civitas : quæ cum esset in ditione Nicolai Christophori Radivilli, magni Lithuaniæ Marescalli, de religione ac societati bene

Primordia Collegiorum

Rigæ,

Niesvisii,

meriti, negari non potuit ipsi enixe id postulanti statio nostrorum temporaria, quæ deinde in sedem stabilem ac perpetuam excrevit. Ad fundandum Lublini, Lublinense collegium Bernardus Machicovius et Nicolaus Zebridonius consilia et opes contulerunt, magno civium ornatissimorum consensu, eoque majori fructu, quod eam Poloniæ minoris urbem amplissimam, Ebionitarum atque Anabaptistarum pestis vitiaverat. Talabricense, in Castella nova Talabricæ. ad Tagi ripas, posuit Cardinalis Gaspar Quiroga, Toletanus Archiepiscopus.

Aquitaniæ Provinciam, in Gallia, dividere placuit in duas, quarum una retinuit Aquitaniæ nomen numeravitque collegia Burdigalense, Tolosanum, Ruthenense, ac Mauriacense : altera Lugdunensis est nuncupata, eique sex attributa fuere collegia Lugdunense, Divionense, Camberiense, Avenionense, Turnonense, et Billomæum : quibus anno sequente Dolanum accessit. In Provincia Franciæ Socios Bituricenses pestilentia graviter exercuit. Dum reliquæ civitatis domus clausæ tenebantur, nostra semper patuit. Jam quinque Patres animas in illustri charitatis officio posuerant, plerique alii jacebant strati morbo, cum magistratus interesse judicans publicæ incolumitatis ut frenos pietati nostrorum poneret, vetuit ne tam multi, ut ad eam diem consueverant, prodirent foras : duobus tantum data venia, urbis obeundæ, qui communi demum in strage ceciderunt : reliqui

Provincia Aquitaniæ in duas divisa.

domi considentes diu noctuque sacramenta poscentibus præsto erant. Delphinatum et vicinam regionem devastare pestis hæreseos pergebat. Socii nullo ferri, veneni aut patibuli periculo abacti, urbes ab hæreticis civili bello vel occupatas, vel exitiali commercio inquinatas peragrarunt, et honestos ac probos ubique mores cum recta Fide revocare conati sunt.

Solent plerique religiosorum Ordinum Præpositi Generalis identidem lustrare domicilia suorum, et quid in iis geratur coram cognoscere. Idem sibi faciendum putaverat Claudius Aquaviva, ut per se inspiceret, quæ fere, nisi per litteras aut Procuratores rescire non poterat. Jam se ad iter accingebat, cum dilata certis de causis profectio, ac denique omissa penitus est. Rebus omnibus attentius consideratis, deprehensæ sunt hujus consilii plurimæ difficultates. Nam præter varia itineris longinqui et diuturni pericula, quibus objici Societatis moderatorem, sine gravi et necessaria causa non convenit, quo tandem pacto corpus tam late diffusum gubernabit assidua peregrinatione districtus? quomodo Provinciarum litteræ ad eum deferentur? quam multæ vel serius vel nunquam pervenient? Tum deliberandi cum suis Assistentibus opportunitas nulla erit : nulla Summum Pontificem (id quod in gravioribus negotiis opus est) adeundi. His, aliisque de causis constitutum fuit ut Præpositus Generalis perpetuam ac fixam

Præpositi Generalis fixa Romæ sedes.

Romæ sedem haberet, unde per Visitatores cum res postulabit, aliosque administros suos universum corpus tanquam anima e capite regeret. Sane peregrinationem ejusmodi minime esse necessariam annus sequens ostendit, quo Romæ sedens Aquaviva Cophtos et Ægyptum, Indiam et Japoniam, Constantinopolim et remotissimas Europæ partes absens inspexit, rexit, ordinavit.

Annus Christi 1583 : Societatis 44.

Est hæc divinæ justitiæ indoles, ut dum maxime sævit, locum aliquem misericordiæ relinquat. Græcos in Schismate pertinaces florentissimo quondam spoliavit imperio et genti barbaræ in teterrimam servitutem addixit : illis tamen opportuna subsidia identidem obtulit, quibus emergerent e naufragio et portum salutis aspicerent. Eamdem opem divina bonitas subministravit Cophtis in Ægypto, Armenis in Armenia, Perside et Mesopotania; Melchitis, Jacobitis, Nestorianis, in Asiæ variis partibus : nec minima Societatis nostræ laus est; quod ejus operam ad prohibendos exitio tot populos adhibuerit, et etiamnum adhibere pergat.

Constantinopolitanus portus ad orientem et septentrionem urbis, porrigitur. Ad ejus dextram oppidum est, quod suburbium Constantinopolis recte dixeris, quippe ab ea interjecto dumtaxat

modico, qui portum efficit, sinu divulsum. Galatam antiqui dixerunt, a voce Græca quæ *lac* significat, quia lactis mercatus in eo loco celebris habebatur. Peram recentiores vocarunt infimam ejus partem, ab voce pariter Græca, quæ *trans* significat, quia trans Galatam est. Ibi Christianorum ingens numerus, quibus adjuvandis Societatem evocarunt oratores Regis Christianissimi et Reipublicæ Venetæ. Præterea in triremibus Turcicis magna vis captivorum, (inter quos non pauci catholici) ærumnosam vitam trahit, ingens materia Christianæ charitatis. Denique in Turcarum patrocinio, si conciliari possent, momenti non parum erat, ad urbes Turcicæ ditionis et Orientem totum impune utiliterque perlustrandum. His de causis, probante admodum, et favente Summo Pontifice, quinque Societatis homines Constantinopolim missi, eo pervenere sexto Idus Novemb. Erat in ea Galatæ parte, quam Peram appellant, ædes Divo Benedicto sacra, cum cœnobio, veteri et vacuo. Ædem exscindere parabant Turcæ, aut in profanum delubrum convertere. Hanc petenti Galliæ Regi concessit Solimanus, in eamque inducti sunt a Jacobo Germinio, Regis apud aulam Turcicam legato, Societatis Patres, præside Patre Julio Mancinello, spectatæ sanctimoniæ viro. Quo in statu Ecclesiam Constantinopolitanam invenerint; qui tum Cleri tum populi mores essent, ac status miserabilis ex ipsius Mancinelli epistolis

Constantinopoli Missio.

descripsimus fuse Parte quinta * ubi etiam fructus explicantur uberrimi qui e præclara Missione capti statim et postea sunt collecti.

* *Lib. XVII. n.° 26.*

Legatio Antiochena irrita.

Minor fuit ac propemodum nullus, inter Jacobitas et Armenios in Asia fructus. Jacobitæ Eutychetem præcipue ac Dioscorum sequuntur, auctore quodam Jacobo Zanzalo Pyro, qui sæculo VI sectam hanc procudit. Inde illis nomen. Eorum Patriarcha sedem habet in oppido Mesopotamiæ, quod Amidam, sive Caramitam vocant, sibique nomen adsciscit Patriarchæ Antiocheni. Is tunc David vocabatur. Ejus frater Naama olim ad Mahometem cum descivisset, reversus deinde ad Christum, et sibi a Turcis male timens ob desertum Mahometem, Romam venerat, utque sibi fides facilius haberetur, et promptiorem ad aures Pontificis aditum inveniret, litteras a fratre suo Davide et duodecim Jacobitis præsulibus, ut aiebat, subscriptas attulerat, quibus illi Catholicam profitebantur Fidem, et sua Romanæ sedi obsequia deferebant. Monitus P. Joannes Baptista Elianus, qui versabatur in istis partibus, ut de litterarum veritate cognosceret, Romam scripserat, eas litteras confictas esse, præsulesque Jacobitarum in suis hærere pertinaces erroribus. Gregorius tamen XIII Summus Pontifex, censuit arripiendam occasionem adeundi Pastores Orientis : fieri posse ut negotium mala inchoatum fide meliori finiretur, illustrata ipso congressu catholicæ Fidei

veritate, et hæresum falsitate demonstrata. Itaque Leonardum Abelam, Episcopum Sidonis et Arabice doctum, in Mesopotamiam ire jubet, eique tres e Societate sacerdotes adjungit. Ut ventum in Mesopotamiam est, certiorem faciunt Patriarcham ipsos adesse cum litteris Summi Pontificis, muneribus ac mandatis: rogant ut locum designet in quo congredi tuto possint. Assignavit monasterium quoddam ad ripam Euphratis; diem pariter qua convenirent dixit. Eo progressi, cum ipsum diu frustra expectassent, ejus dumtaxat Vicarius apparuit, denuntians fieri nullo pacto posse ut adesset Patriarcha; observari a Turcis omnia ejus vestigia, ita ut sine certo capitis periculo commovere se non possit: ceterum se loco ejus missum, nihil a se minus, quam si Patriarcham alloquerentur, impetraturos. Etsi facile apparebat hæc ad colloquium declinandum esse inventa, nihilominus, quia spes eliciendi ad congressum Patriarchæ nulla erat, proponitur Vicario formula Fidei. Quam cum perlegisset, videritque recipiendum Chalcedonense Concilium, et anathema dicendum Dioscoro, et Eutycheti, totus animo vultuque commotus: Nos, inquit, Dioscorum, ut virum eximie doctum et sanctum pie colimus, neque ut aliter tota natio sentiat, unquam impetrabitur. Urgebant hominem imperitum catholici theologi, ac docebant absurdum esse penitus Dioscori, et Eutychetis hæresim, qui duos in Christo naturas

ita permixtas esse affirmassent, ut una quædam e duabus conflaretur : neque enim fieri posse ut natura humana convertatur in divinam, aut in humanam divina. Denique Dioscorum in quarta Synodo OEcumenica, * Ecclesiæ universæ calculo ac detestatione condemnatum fuisse. Hic visus, acquiescere Vicarius, respondit se Romanæ studiosum Ecclesiæ semper fuisse, sed quominus ipsis assentiretur, certis rationibus impediri : non desperandum, quin opportunitate data negotium ex voto Summi Pontificis conficeretur. Instantibus porro ut aliquid litterarum daret ad Gregorium : Vos, inquit, si me auditis, dabitis operam, ne crastinum diem hic transigatis. Jam Turcas afflavit rumor adventus vestri; si moram trahitis longiorem, nihil tutum præstare vobis possum. Sic locutus anxios, mœrentesque deseruit. Atque hic fuit exitus Antiochenæ legationis, ex qua intelligi potuit quam caute accedentibus Romam earum gentium legatis commodanda sit fides. Patres cum Episcopo Aleppum se receperunt, unde ad Patriarcham Armeniorum ineunte Decembri perrexerunt, Erivani degentem in Armenia majore, seu Tunomania. Perhumaniter ab illo accepti, nihil admodum de religione disputarunt certis de causis; hortati sunt illum duntaxat ut aliquem e suis præsulibus vellet Romam ablegare, itemque aliquos mitteret adolescentes, qui sancta in Urbe ad pietatem formarentur. Promisit ille omnia prolixe,

* *Chalcedone anno* 451.

ac litteras ad Præpositum Generalem Societatis perhonorificas dedit.

Missio ad Cophtos redintegrata.

Apud Cophtos in Ægypto religionis negotium serio acriterque susceptum, sive potius redintegratum est. Ad eos enim P. Joannes Bapt. Elianus anno MDLX et rursum anno MDLXXX jam erat profectus, jubente Pontifice: dumque sedulo versat gentis codices, in iis multa invenerat priscorum testimonia doctorum quibus errores Cophtorum confutabantur. Quæ cum ostendisset nonnullis peritioribus, eos ad catholicorum partes traduxerat. Accessit ad P. Elianum ex Urbe hoc anno P. Franciscus Saxus. Ambo Patriarcham Cophtorum convenerunt, eique litteras Summi Pontificis reddidere, quas reverenter osculatus capiti imposuit, laudans egregiam Summi Pastoris pietatem qui gentes tanto terrarum intervallo disjunctas paterna cura complecteretur. Deinde nostrorum hortatu Synodum indixit, quæ anno ad exitum vergente inchoata, sequenti, non sine tumultu, nec sine fructu, est absoluta.

Angolani mire devicti.

In eadem Africa et ejus latere occidentali, expeditio ad Angolanos pridem suscepta magnum, victis acie barbaris, incrementum cepit. Quiloanga, Rex Angolæ, Lusitanos in regionem interiorem, et feraces argenti montes se invito penetrasse dolens, ingentem e finitimis populis collegit manum, quos et odium nominis Christiani, et prædæ spes accendebat. Amplius centena millia

stetisse in armis memorantur. A Lusitanis amici ipsorum fœderatique metu Quiloangæ defecerant. Solus in fide mansit Banzæ regulus, non ita pridem Christianis sacris initiatus, et triginta suorum millia Lusitanis, longe paucioribus, junxit. Commissum est prælium quarto Nonas Februarii. Hortatus Lusitanos P. Balthazar Barreira, Mariæ Virginis nomen, cui sacer dies agebatur, pro tessera signoque militari dedit. Ipse ad precandum se recipiens victoriæ pars fuisse magna non immerito creditus est. Quippe tamdiu dum instabat orationi, tamdiu Christiana res erat superior: si paulummodo cessaret, redibat hostis acrior ad pugnam, et vicissim vincebat. Insigne victricis precationis documentum, et pridem ævo Moysis celebratum. Cæsi fugatique barbari campos cadaveribus constraverunt, ac subinde variis attriti cladibus quievere. Accessit ad victoriæ cumulum Angrensis collegii restitutio. A Lusitanis hæc insula desciverat, sed ab iis paulo post recepta, et Collegium Societati redditum est.

Rodulphus Aquaviva fortiter cadit,

Quem suis Lusitanis triumphum sancte precando peperit P. Barreira, hunc sibi P. Rodulphus Aquaviva fortiter cadendo comparavit. A Mogolum Imperatore vix dimissus * Salsettanum Collegium regendum acceperat. Est Salsetta peninsula prope Goam exigua, sed mire ferax, ita ut sexaginta minimum numeret pagos, et incolarum non minus octoginta millia. In uno ex illis pagis, quem

* *anno* 1580.

Cuculinum vocabant, ædem sacram ædificare meditans Aquaviva, illuc perrexit, cum Patribus cum quatuor Sociis. Petro Berna, Alphonso Paceco, Antonio Francisco, et Fratre Francisco Aranea. Incolæ præterquam erant falsis numinibus misere addicti, tum vero P. Petrum Bernam præcipue oderant, quia vaccam interfecerat quæ ab ipsis, ut olim bos Apis ab Ægyptiis, colebatur. Hunc ubi conspexere, ad vindictam diu expetitam exarserunt. Neque illum tantum, sed ejus quoque comites neci destinant. Prorumpunt armati et Aquavivam qui primus occurrebat vulneribus quinque sternunt. Bernam alius incusso capiti gladio ferit : alius hastili oculum eidem eruit : alius adacto per aurem mucrone cerebrum trajicit. Paciecus duplici lancea transfixus concidit : P. Antonius Franciscus toto corpore tela impiorum et beatam excepit necem. Franciscum Araneam inflictum in cervice ac latere vulnus nondum exanimaverat; adhuc spirans delituit in tugurio. Conquisitum immanes sicarii raptant ad vicinam Idoli statuam, falsa numina vocibus intermortuis detestantem; ligant ad palum verutis ac sudibus fodicant, demum sagittis obruunt; cadavera conjiciunt in puteum. E quinquaginta Christianis comitibus Patrum, viginti a furiosis circumventi perierunt, reliquos servavit fuga. Ex iis ubi cognitum est scelus, horror Goam, nostros mistus gaudio luctus invasit. Nec minor apud Salsettanos ethnicos trepidatio. Con-

venere gentis proceres, et ore uno dedendos Lusitanis sicarios pronunciarunt; sed jam scelerati aufugerant. Educta puteo corpora, licet quarto post necem die, recenti sanguine ac suavi odore manaverunt : et quia jam multa nox erat, in Baccioli oppidi primario Divæ Mariæ templo, inter dulces omnium lacrymas et pios cantus, condita fuere. Inde Goam anno MDXCIX deportata, et in Societatis templo decentius sepulta sunt.

Natus erat Rodulphus anno MDLI, patre Hieronymo Aquaviva, Duce Atriæ, Claudii Aquavivæ, Generalis Præpositi Societatis, germano. Pueritiam ea prorsus ratione traduxerat, quæ laudatur in integerrimis quibusque adolescentibus. Insignem in flagitanda et ineunda Societate, contra objectas a parentibus et propinquis moras constantiam ostenderat, nec minorem in Indica missione suscipienda. Exactis in Italia novem annis, Goam, inde in Mogolis imperium venit; unde revocatus, pretiosam et diuturnis expetitam votis mortem in Salsettide invenit anno ætatis tertio et trigesimo, initæ vero Societatis decimo septimo. Alphonsus Paciecus Minaiæ, in oppido gentili, natus, ad Societatem accesserat anno MDLXVII et in ea summarum virtutum documenta dederat, quibus cumulum et coronam beata mors imposuit. Petrum Bernam Ascona ediderat; est id oppidum ad littus Verbani lacus. Quinque ac vigesimum confecerat annum, cum Societatem ingressus est

anno MDLXXVII. P. Antonio Francisco natale solum fuit Conimbrica. Illi desiderium dicandi se Deo in Societate injecerat audita mors cæsorum anno MDLXX ab hæreticis Sociorum quadraginta cum P. Ignatio Azebedio. Franciscum Araneam Braccara ediderat in lucem anno MDLI. Goa Societati addiderat anno post vigesimo.

Cohibendam remediis acrioribus ethnicorum feraciam Prorex merito judicans, eorum pagos et agros ferro flammaque vastavit; arcem exstruxit in media regione; captis demum, vel deditis barbaræ cædis auctoribus, quicumque repereri potuerunt, ac supplicio affectis, sacrilegi parricidii crimen expiatum est. Rigata felicium Christi victimarum cruore tellus negatos antea fructus lætissimo proventu extulit. Ex ipsis percussoribus aliqui baptismum suscepere, et paucis mensibus quatuor fere millia superstitionem et impios ritus abjecerunt : adeo ut numerus Christianorum in illo tractu non amplissimo ad viginti tria millia brevi excreverit.

In Japonia, Faxiba favet Christianis.

Idem Christi cultorum numerus mire crevit in Japonia, cumque bello civili profliganda religio videretur, eo magis magisque est confirmata. In quo divinæ bonitatis ac providentiæ singulare patrocinium licet agnoscere. Nobunanga cæso, summam potestatem ejus filio debitam, sensim occupavit Faxiba, copiarum dux præcipuus; homo strenuus et impiger, fortis ac felix, demum

imperio cujus ardebat cupiditate par. Tutorem se pupilli Principis initio dixit, et Japoniæ gubernatorem, donec hæres imperii legitimus adolesceret. Hoc nomine arces præcipuas et ærarium invadit, æmulos et suspectos partim submovet, partim de medio tollit. Christianos sibi adjungere conatus est, quorum numerus, opes, gratia, novæ necdum stabilitæ dominationi, metuenda. Tum illos fidum et quietum, si moribus suis ac ceremoniis uti sinerentur, genus esse norat, nec facile quidquam per vim ac tumultum tentaturos. Itaque adeuntes Patres excepit perbenigne, locum assignavit Seminario Societatis exstruendo; et opus ipsum pecunia juvit, in urbe Ozaca, quam amplificandam et ornandam præcipue sumpserat. Quod ubi fuit pervulgatum, incredibilis facta est ad Christianum gregem accessio. Justus Ucondonus, religionis decus et columen, probitatis æque ac bellicæ rei gloria clarus, edicto vetuit ne quis in urbibus suæ ditionis baptismi expers degeret : obsequi detrectantibus potestatem alio commigrandi fecit. Eodem auctore atque hortatore multi proceres divinam legem sunt professi, ac præsertim duo; Trucamindonus, rei maritimæ præfectus, et Condera, Equitum magister : quorum hic nomen Simonis in baptismo, ille Augustini, tulit. At Bonzii templis passim suis ejecti, comminutas deorum statuas in regiam deportarunt, lamentabili voce rogitantes ut sedes aliqua Diis patriis,

ubi tuto consisterent, præberetur. Quorum querelas ubi Faxiba cognovit: *Si loci nihil est,* inquit, *ubi tot stipites reponant, eos in ignem per me licet, vel in mare projiciant.* Contra vero nullum faciebat finem laudandæ Christianorum virtutis. Utinam amare pariter illam et amplecti studuisset! sed illos, aiebat, nimium probos esse; id quod ipsis apud improbissimum et impurissimum Principem, ut postea dicemus, nocuit.

In Anglia, Sua pariter probitas et retinendæ Fidei constantia nocuit in Anglia catholicis, de quibus durissimæ quæstiones habebantur, maxime de sacerdotibus et religiosis viris, quorum alii vertere solum jussi, alii in patibulum sublati, alii in vincula dati, alii distenti, lacerati, secti. Patre Personio in Galliam secedere coacto, cæsis PP. Campiano, Brianto et Cottamo, reliquis eamdem necis pretiosam sortem præstolantibus in carcere, unus restabat liber P. Gaspar Haywodus, et multorum partes unus impigre obibat. Sed arreptæ semel sententiæ plus æquo tenax (quod est hominibus non indoctis, atque interdum etiam probis, familiare vitium) tueri pergebat illorum partes, quibus non placebat observari quædam jejunia, usu diuturno in certis Angliæ partibus, a catholicis usurpata, cum diceret satius esse illa duntaxat retineri quæ Romana servaret Ecclesia, cujus consuetudinem cæteris debere esse pro norma contendebat. Eo duce controversia in frequenti Sacerdotum

P. Haywodus carcere detinetur, et

cœtu ante biennium decisa, vehementius redintegrata est non sine gravi perturbatione. Itaque Personius Haywodum in Galliam evocandum censuit, submisso in ejus locum P. Guillelmo Westono. Jam invehebatur in portum Galliæ, cum subito navis adverso vento repulsa in Angliam est: ipse agnitus, et in carcerem abreptus, annos complures in tenebris, fame, vinculis, jacuit, ad extremum usque spiritum invictus, atque in Fide catholica, et Societate constans. Ab utraque per idem tempus desciverunt Christophorus Perchinus, et Thomas Landgallus, nec nihil turbarum et periculi concitaverant, ut mos istis desertoribus: verumtamen brevi hominum levitas et nequitia perspecta est. duo deficiunt.

Qui religionis et veritatis partes in Scotia defendebant, in eo potissimum elaborabant ut Scotiæ Rex Mariæ Stuartæ filius, catholica doctrina sedulo institueretur, et maternis vestigiis insisteret. Hæreticorum factio, adnitente pro viribus Elisabetha, illos antevertit, et regem regnique administrationem, sibi vindicavit. Incidit in impiorum manus P. Guillelmus Holtus; sed illum Rex, deprecante Christianissimi Regis Oratore, in libertatem asseruit. Cum interim Maria Sacerdotem Societatis enixe postularet, aditum ad eam invenit, occultatus nomine et ornatu medici P. Henricus Samerius, eique aliquot annos magno ad pietatem fuit adjumento. Verum sentiens se In Scotiam P. Samerius penetrat.

observari a carceris custodibus, neque effugere posse, quin comprehenderetur; coactus est sese clam subducere.

Galliæ Rex alienigenas e Collegiis removeri jubet,

In Gallia Sociis non levem incussit metum querela Regis Henrici III, cum significavit moleste se ferre quod alienigenæ plures de Societate versarentur in regno suo, ac fere collegiis præesse dicerentur. Itaque vetuit quemquam domiciliis nostris præfici, nisi oriundum e Gallia; egitque cum Nuntio Pontificio ut Gregorius XIII id Præposito Generali præciperet. Conturbavit summopere Claudium Aquavivam ea denuntiatio, et statim negotium dedit P. Odoni Pigenatio, qui Provinciam Franciæ gubernabat, ut Regem adiret quamprimum, ac doceret ita natam, ita constitutam Societatem esse ut nationes omnes communi quadam charitate complectatur, et suam universis operam sine discrimine impendat, nulli addicta loco, nullo exclusa. Id valere tum ad membrorum privatam utilitatem, dum mutuam sibi ad juvandos proximos præstant opem, tum etiam ad publica regnorum commoda, dum ex una in aliam regionem idonea mittuntur auxilia, et præstantes viri, nubium instar, secundos eruditionis doctrinæque imbres longe lateque diffundunt. Cautum esse diligenter in Societate ne quis aut nimio patriæ studio, aut alienæ gentis odio, peccet : neque ullum fuisse datum unquam Regi locum accusandæ nostrorum etiam alienigenarum

fidelitatis. Addidit Provincialis neminem e nostris externum præesse collegiis præter unum, eumque minime suspectum P. Bernardinum Castorium, Italum, et quosdam Lotharingos, quos Rex sibi maxime fidos conjunctosque semper existimasset. His auditis Rex, cum alia quædam de Societate nostra quæsivisset, sibi factum satis esse respondit : rogantique Provinciali ut jam regali benevolentia et patrocinio fovere pergeret, prolixe promisit et promissa præsenti pignore firmavit, cum Societatis curæ ac fidei Caroli fratris filium, quamvis multi repugnarent, commisit. Sane perquam utiliter in variis Galliæ partibus a Sociis opera navabatur. P. Jacobus Comulettus aures et animos Rotomagi victrice facundia detinebat : P. Thomas Darbishirus ibidem Anglicanos excipiebat exules et consolabatur. In Ebredunensi diœcesi manus cum discipulis Calvini assidue ac feliciter conserebantur. Uno in oppido Missæ Sacrificium novem jam annis intermissum ut publice deinceps fieret impetratum est. P. Clemensonus supplicationes item publicas revocavit Nemausi, et alia revivíscentis religionis insignia monumenta restituit; non valde repugnantibus ipsis hæreticis, a quibus cupidissime audiebatur. Id enim sedulo studebat ut non tam ipsorum argumenta confutaret, quod molestum vulgo, et invidiosum; quam ut Ecclesiæ Sanctæ sententiam et dogma confirmaret : multo etiam magis cavebat ne quem verbis aspe-

et id retractat.

Utilis opera Rotomagi,

Ebreduni,

Nemausi,

rioribus aut maledictis læderet. Hæc rerum utiliter in Gallia gestarum fama excitavit collegium
Rotomagi, Rotomagense, fundatore Card. Borbonio; Ebredunense, Archiepiscopo Ebredunensi. At Dolanum
Dolæ, in Comitatu Burgundiæ olim receptum, demum hac æstate missis præceptoribus inchoatum est.
Luxemburgi. Luxemburgum, rogatu Alex. Farnesii Ducis Parmensis, missi ex Trevirensi Collegio fuerunt Petrus Peraxillus, cum altero concionatore. Postquam per Adventum ter in hebdomade, præter sacros dies, verba fecissent magno cum fructu; Peraxillus cum Socio reditum parabant : Ast Comes Mansfeldus, Ducatûs gubernator, negavit ut inde discederent : novæ Coloniæ ponerent fundamenta; occlusurum se portas ne abirent : et continuo Collegii institutionem cœpit urgere. Missi et
Cortraci, Cortracum petente Magistratu et alente, Robertus Clayssonius, Joannes David, qui fuerat in ea civitate parochus, et alii : concionibus, catechismo S. Mysteriorum usu, aliisque piis operibus, tum fructus uberes legerunt industriæ, tum conceptam Collegii cupiditatem incenderunt magis.
Toleti, Inchoatum pariter collegium Toletanum sub extremum Octobrem, instante Cardinali Quiroga.
Burgis, Domus Professorum Burgensis in collegium est mutata, postulante civitate. Iisdem Professis Cra-
Cracoviæ, coviæ data domus cum templo, ab Episcopo et Rege. Domus Probationis in eadem urbe posita, in ædibus donatis a parocho S. Stephani apud

quem Patres toto quadriennio velut in statione versati erant : Stanislaus vero Karncovius, Gnesnensis Archiepiscopus, et Poloniæ primas, Collegium Posnaniense stabilivit, ornavitque; præterea Calissiense, in sua prope Silesiam diœcesi, erigendum suscepit. Quo tempore Societatis Sacerdotes duodecim e variis Germaniæ Provinciis, in Livoniam progressi, Rigam, Derpatum, aliasque civitates repurgarunt ab erroribus, et in Romani Pontificis ac Stephani Regis obsequio confirmarunt. Non segnius in extremos Lithuaniæ fines procurrit agmen Sociorum. Omnia superstitio corruperat; sacrificabant incolæ Telluri, Cybelæ, Laribus. Ex infandis illis sacrificiis asservabant domi reliquias tam vesana religione, ut eas sine ingenti metu non abjicerent, obstupescerentque cum domos ingressi Patres sacrilega vestigia proterebant pedibus et impune lacerabant. Non erat eadem rerum divinarum labes et ignoratio in Italia, in eo solum cura Sociorum elaborabat, ut ne quid detrimenti caperet pietas publica utque majoribus in dies incrementis augeretur. Eo consilio datum fuit Bariensibus in Apulia collegium, civibus illud et Archiepiscopo flagitantibus: in Sicilia domus Professorum collocata Panormi fuit in ædibus ubi steterat Collegium, ut templum sua ad munera haberent statim in promptu Professi, Collegio alias in ædes translato.

Posnaniæ, etc.

Annus Christi 1584 : Societatis 45.

Societas a Greg. XIII confirmata.

Gregorius XIII Societatis institutum nova Constitutione Apostolica confirmavit, die octavo Calendas Junii, atque hanc præsertim illius partem, quæ spectat vota simplicia, post tironicium emitti solita. Hoc proprium ac peculiare Ordinis nostri caput, jam inde ab anno MDLXXXII quidam theologi oppugnaverant, atque palam negabant illos qui simplicibus ita devincti votis essent, religiosos dici oportere; quin etiam posse sine consensu et injuria Societatis, ab ea, cum libuerit, recedere. Illorum opinionem damnavit Gregorius edita Constitutione *Quanto fructiosius* etc. anno MDLXXXII et altera hujus anni, quæ incipit : *Ascendente Domino* etc.

Libellus de Ratione studiorum.

Dum Societatis Institutum novo firmat propugnaculo Summus Pontifex, ejusdem doctrinam Præpositus Generalis et scholas novis decretis munivit, ornavitque. Intelligebat nimirum Vir prudentissimus nihil ad doctrinæ securitatem, nihil ad splendorem utilitatemque Collegiorum fieri præstabilius posse, quam si ratio docendi optima, et studiorum ordo rectissimus, teneretur. Ad hunc ordinem conficiendum Aquaviva sex homines e nostris doctissimos et in scholarum palæstra diu versatos, Romam evocavit, qui consideratis variarum gentium, inter quas Societas docet, moribus, consuetudinibus, aliquid com-

muni consilio statuerent quod ab omnibus observari posset. Universum opus duas in partes tributum est. Prima complectitur delectum opinionum in philosophia et theologia, quas debet amplecti Societas: in secunda traditur methodus ac praxis variarum exercitationum, quibus juventus ad bonas artes informatur. Confectus hunc in modum libellus, missus est in singulas provincias, ut eum expenderet unaquæque, ac videret quid adjungi, quid detrahi, quid mutari placeret pro regionis conditione: neque ante annum MDXCII in usum inductus fuit, idque cum ea exceptione, ut si quid aliter statuendum judicaretur, hoc postea Societas definiret, uti reipsa contigit in Congregatione anni MDXCIII. Hic libellus, cui *Ratio Studiorum* nomen postea datum est, tanto magis videbatur hoc anno necessarius, quanto plura nata sunt variis in locis Collegia.

Collegium Mantuanum.

Mantuanum fundavit, in Provincia Veneta, Eleonora, filia Imperatoris Ferdinandi, Maximiliani Soror, Guillelmo Duci Mantuæ nupta. Statio posita est Beneventi donec lites quædam de collegii templo coortæ deciderentur. Statio pariter apud Rhetos collocata Roboreti in valle Mesoacina, instante sanctissimo præsule Carolo Borromæo, qui Patres adsciverat adjutores expeditionis Evangelicæ, cujus ipse dux et prima maximaque pars erat. Hic postremus sanctissimi Cardinalis quasi actus vitæ mortalis fuit. Quippe glorioso labore

Stationes Beneventi, Roboreti,

fractus, collecta febri Mediolanum reportatus, ad æterna præmia nonis Novembris excessit. Data similiter sedes temporaria Gedanensibus, rogatu Hieronymi Rosdrazovii, Cujavensi Episcopi. Collegium Grodnense Stephano Regi Poloniæ fuit promissum, Niesvisiense a Christophoro Radivillo munifice constitutum. Auctor Seminarii Fuldensis excitandi jam inde ab anno MDLXXI fuerat Balth. Dernbach, abbas Fuldensis, et Imperii Princeps, curamque adolescentum Societati demandaverat. Sed cum numerus illorum in dies augeretur, neque attributa initio vectigalia sufficerent, P. Petrus Loppers egit cum Gregorio XIII ut Seminario tam utiliter inchoato partem consuetæ liberalitatis indulgeret. Fecit Pontifex munificentissimus quod rogabatur, seque Seminarii Fuldensis patrem dici hoc anno voluit. Urbanus deinde VIII, præter privilegia non pauca alumnis concessa, protectores illorum defensoresque nominavit Cardinales Præpositos Congregationi de Propaganda Fide, ac Nuntios Apostolicos; magistros vero, et rectores adolescentum Patres Societatis esse jussit. Summorum Pontificum benevolentiæ ac liberalitati respondit egregie contubernium Fuldense, ex eoque tanquam e fertili solo prodierunt in Germaniam universam Canonici præstantes, Episcopi, Abbates, religiosi viri, ministri Principum, Fidei Catholicæ propugnatores fortissimi. Fatale Seminario, uti plerisque

et Gedani.

Collegia Grodnæ et Niesvisii.

Fuldense Seminarium.

Germaniæ partibus bellum Suecicum fuit. Relicta Fulda concesserunt Alumnni Coloniam circa annum MDCXXXII, nec nisi anno MDCLI in solum natale sunt reversi.

Dotem idoneam justo collegio promittebant Astigitani, in Hispania; Socios aliquot, dum illam parant, acceperunt. Hanc integram obtulerant Bilbilitani, et Lyceum suis continuo numeris absolutum habuere. Actum fuerat de Oguatensi collegio transferendo Victoriam, quæ civitas opportunior Societatis ministeriis censebatur. Dum moras nectunt Victoriani, et lites movent, itam est * Vergaram, quæ civitas ad ripam fluvii Devæ sedet, in Biscaya. Ad fundandum Algueríi in Sardinia collegium, certam pecuniæ summam testamento reliquerat Carrobira, Decanus Algueriensis: sed cum ea pecunia satis non esset ad justam familiam conflandam; exspectatum tantisper est donec amoveretur Collegium Busaquio, cujus oppidi angustiæ musas excludere videbantur. Ex ejus veluti occasu natum est Algueriense, quod anno MDLXXXIX in ampliorem domum a civitate coemptam et commodiorem migravit.

Statio Astigitana.

Collegium Bilbili et Vergaræ.

* *an.* 1597.

Collegium Algueriense,

Aginnenses in Gallia Præpositum Generalem urgere cum pergerent, concessi sunt illis aliquot Socii, quibus uteretur tantisper civitas dum collegium pararetur. P. Michael Fontius cum Hispana classe profectus Panamam, ubi utramque Americam angustus isthmus nectit, illic paulisper

Aginnense,

Panamense.

substiterat rogatu civitatis, ad collocandam stationem : hæc paulatim in collegium crevit. Absoluta quoque est domus Catechumenorum Olisippone, cujus ædificandæ causa hæc fuerat : cum Mahumetes, Africanus Princeps Lusitanorum, opes anno MDLXXVIII imploravit, ejus filius Olisipponem venerat, et una cum illo nobiles aliquot Afri, divinæ legis cognoscendæ cupidi. P. Petrus Fonseca impetravit per eam occasionem, ut iis, et aliis in posterum religionis Christianæ candidatis, domicilium tribueretur. Ipse leges, quibus illud contubernium regeretur, scripsit. Relicta Patribus est rerum ad pietatem pertinentium cura : domesticæ rei administratio externis permissa, simillima domus Goæ condita, eo utilior quo plures ethnici quotidie ad ovile Christi aggregabantur. Præter multos privatim baptizatos, baptismi celebres solemni apparatu habiti sunt semel nongentorum, in quibus non pauci Brachmanes; iterum trecentorum et triginta. Goanus Archiepiscopus et Prorex, utramque pompam sua præsentia cohonestare, ac renascentes e sacro fonte suscipere atque adoptare alienum sua dignitate non duxerunt.

Domus pro Catechumenis Olisippone,

et Goæ,

In Sina, unus aut alter baptismus publice administratus, instar multorum, ac prope instar prodigii censeri potest. Civis e plebe infima fuerat a suis ob morbum ejectus domo, et in publico misere jacebat. Hunc Patres vicinum in tugurium cum deportassent, et humanissime aliquamdiu

In Sina, primi publice baptizati.

fovissent, adeo permotus est æger inusitato inter Sinas charitatis exemplo, ut explicatam sibi veritatem Christianæ legis in baptismo professus fuerit, et paulo post a Patribus honorifice sepultus. Qui cum vidissent laudari factum a populo, et magno apud omnes in pretio religionem esse, quæ tam consentaneam naturæ humanitatem, tam a propriis alienam commodis doceret, audendum aliquid ulterius putaverunt, et sacras baptismi ceremonias in publicam lucem proferendas. Duos elegere præ cæteris in quibus illud specimen augustæ religionis recte ac tuto ederetur. Primus erat civis Sciauquinensis, cujus domi Patres cum Sciauquino discederent, altare sacramque supellectilem, deposuerant. Fuit illi sacrum hoc depositum haud minus utile, quam olim Obededoni Arca : nam ex eo tempore magis, magisque incensus desiderio Christianæ religionis, voti tandem compos factus est, et ad fidelium cœtum adjunctus. Nomen illi Joannes impositum. Nico-Ciu Sinice vocabatur. Alter genere litterisque clarus, quinque circiter mensibus familiariter nostris usus erat Sciauquini, et Christianæ doctrinæ compendium a P. Rogerio editum attente perlegerat. Ea lectione mirifice delectatus, cognitam veritatem non solum amplecti, sed aliis etiam ostendere decrevit. Nomen illi Paulo factum, omenque tanti nominis statim ac deinceps implevit. Ubi res percrebuit, venerunt ad eum frequentes urbis pri-

mores, quibus ob nobilitatem et eruditionem notus erat, omnium vox una et sententia fuit bonam sanctamque religionem esse, quam vir tantæ doctrinæ, tanta virtute, tam excellenti præditus ingenio, sibi suscipiendam judicasset. Post paucos dies Pekinum discessurus, ubi promovendus ad Mandarini dignitatem existimabatur, significavit Patribus se facturum iter per Provinciam Fokiensem, unde oriundus erat, ut uxorem et familiam inventi thesauri participem faceret.

Sic admittebatur paulatim Evangelica lux ab Imperio Sinensi, quam Cophti, Chaldæi, Melchitæ aliique Orientis populi, et abjecerant olim, et modo per summum Pontificem oblatam respuebant. Ab eo missi cum Sidoniensi Episcopo Patres Leonardus Santangelus, Joannes Baptista Elianus, et Franciscus Saxus, Aleppi constiterant, inde ad Græcos antistites Damascenum et Hierosolymitanum profecturi; imo longius, ad Chaldæorum usque Patriarcham, quem de adventu suo mature certiorem fecerunt. Sed hujus conveniendi potestas nulla fuit, cum iter, in Persidem, ubi tum degebat, infestis Turcarum Persarumque copiis teneretur. Venit Aleppum tamen ejus Vicarius, homo non indoctus, et frugi. Qui a Patribus institutus deposuit errores Nestorianos quibus Chaldæi potissimum laborant, unaque cum altero Sacerdote suo solemnem Fidei catholicæ professionem edidit. Aleppo digressi Apostolici legati Damascum vene-

Missiones ad Græcos Antistites,

ad Chaldæos,

runt ad Patriarcham Melchitarum. Id nominis habent Syri quidam, quorum majores tuebantur doctrinam Ecclesiæ in Chalcedonensi concilio definitam anno CCCCLI, et ab Imperatore Martiano propugnatam, a quo etiam sumpsere Melchitarum appellationem, *Melech* enim, dictio Hebraica, Regem sive Imperatorem significat. Ita gloriabantur se Imperatoriæ fidei ac sententiæ addictos et defensores. Ipsorum posteris, ad Græcorum schisma et somnia delapsis, tunc præerat Damascenus Patriarcha, ultroque assentiri videbatur Patribus meliora docentibus, adeo ut brevi expugnandum sperarent, si longioris colloquii et moræ copia foret. Verum concitatâ in Melchitas a Turcis procellâ Rhodum, inde Constantinopolim fugere coactus est; neque perduci ad maturitatem jacta bene semina potuerunt. Hierosolymorum Antistitem non Turcæ, non alieni, sed sui a cognitæ veritatis complexu deterruere. Multus illi cum Nuntiis Pontificiis sermo de processione S. Spiritus, de loco expiandis post mortem peccatis destinato, de sedis Apostolicæ auctoritate, et capitibus aliis in quibus Græci Schismatici a Latinis orthodoxis dissident. Audiit omnia perbenigne : jamque nihil faciendum propius erat, quam ut profiteretur palam quod privatim verum esse fatebatur, cum id subodorati Schismatici minis ac terroribus hominem ita conturbarunt, ut congredi præterea cum Patribus ac mutire ausus non sit. ad Melchitas,

et ad Cophtos. Liberius cum Cophtis in Ægypto et acrius actum est, sed exitu nihilo meliore. Illorum Patriarcham anno superiore Patres Elianus et Saxus eo deduxerant ut Synodum suorum indiceret hoc habendam anno. Convenere cum Patriarcha Episcopi quinque, aliquot Abbates, ac circiter triginta Principes nationis. Prolatæ sunt in medium Divinæ litteræ, Decreta conciliorum, scripta Sanctorum Patrum præcipue Græcorum. Ex iis omnibus liquido demonstratum fuit agnoscendas esse duas in Christo naturas in una Verbi divini persona subsistentes; nec stare aliter posse mysterium Incarnationis. Hærebant Cophti et tamquam ad res hactenus inauditas stupebant. Nec mirum : quippe indocti ac sacræ scientiæ plane rudes. Illorum Patriarcha ne legere quidem satis commode poterat; Episcopi non erant multo doctiores. Cum nihil haberent quod argumentis tam perspicuis responderent, eo devenere ut dicerent se aliter a majoribus institutos, a quorum doctrina certum sibi esset numquam discedere. Cum urgerent Patres, et consuetudinem sine veritate, aliud nihil esse nisi errorem consuetum et vetustum ostenderent, solutus est cœtus et in aliam diem rejectus. Iterum ergo disputatum acriter et diu; idque tandem extortum ut faterentur illos errare, quicumque unam tantum in Christo naturam esse dicerent. Ut autem duas in eodem Christo naturas ipsi agnoscerent, perpelli num-

quam potuerunt; tantus erat stupor! Apparebat Patriarcham facilius ad bonas partes inclinari posse. Id quod sentiens ejus Vicarius Nestorio perdite addictus, imperitum senem ita concussit, ac perterrefecit, ut in solitudinem clanculum aufugerit, ubi paulo post obfirmatus in errore vitam infelicem clausit. Mœsti Patres discessum parabant, cum in eorum ædes Turcæ strictis gladiis irrumpunt. Abripiuntur in custodiam tanquam perduelles et proditores, qui ad Cophtos Romano Pontifici mancipandos in Ægyptum venissent : non leviori pœna, quam rogo, scelus expiandum Mahometani conclamabant : et vix per Gallorum ac Venetorum Consules impetratum, ut de pretio redemptionis ageretur. Eo persoluto, P. Elianus Memphi aliquandiu substitit. Saxus in Europam anno MDLXXXV reversus est.

Missiones in Livonia, in Illyride, in Epiro,

Minore periculo, majore fructu versatus est sacerdotalis labor inter Estones in Livonia, in Epiro, Illyride, Macedonia, Mysia. Progressi Patres ab urbe Lisso, Dyrrachiensem Archiepiscopatum, et Antibarrensem, cum adjunctis Episcopatibus obierunt. Convocatis deinde, quos commodum fuit, Episcopis tribus, Sappatensi, Lissensi, Sconrensi, et Archiepiscopi Antibariensis Vicario; nec non Custode sex monasteriorum e Franciscanis Observantibus, quæsierunt communiter, atque sanxerunt quidquid ad remedium et ad profectum expedire visum est. Montes fini-

timos transgressi gentem invenere in Latino perseverantem ritu, sed rudem plane atque asperam.

In Mysia, Nec pauci reperti sunt in superiore Mysia Christiani, sed sacerdotibus a quibus erudirentur destituti. Huic penuriæ quoad licuit, provisum! In Mysiam postea inferiorem, sive Bulgariam, profecti, diutius in urbe Sophia constiterunt, et rebus quæ pertinebant ad religionem, compositis, Romam anno sequenti se retulere.

et in Transsylvania In Transsylvania non erant operose quærendi quibus cœlestis doctrinæ panis frangeretur: ipsi ultro invitabant magistros, ultro se docendos offerebant. Primi fuerunt Somlienses, deinde Vassarelienses, tum Varadinenses, qui etiam pro impetrando collegio instabant: postea Tordenses, Fenesenses, Siculi, Valachi. Eorum alii rhedas mittebant quibus veherentur Sacerdotes; alii litteras suæ testes obsidesque voluntatis; alii demum ipsimet aderant pro suis popularibus et oppidis oratores ac legati. Unus Patrum dŏlor erat; quod in omnes partiri sese, omniumque vota, et sua, implere non possent. In regia urbe seminarium Pontificium opera P. Antonii Possevini anno superiore conditum, florebat. Ipse Possevinus cum Blandrata, Ariano teterrimo, ceterisque partium hæreticarum antesignanis sæpe congressus, errores suos ut agnoscerent vel inviti ac faterentur coegit.

Annus Christi 1585 : Societatis 46.

Est illa Divi Leonis pervagata vox, cum de Roma Sancta loqueretur, *eam latius præsidere religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim, inquit, multis aucta victoriis jus imperii sui terra marique protulerit, minus tamen est quod illi bellicus labor subdidit, quam quod Pax Christiana subjecit.* * Hoc non minus vere, quam magnifice dictum esse, annus MDLXXXV docuit, cum ex Asia ultima, et Orbis terrarum finibus profecti Japonii Principes, et ad Romani Pontificis pedes prostrati Japoniæ Christianæ vota et obsequia, suo, et Regum suorum nomine, illi detulerunt. Postquam ipsorum litteras, et legationis consilium ac modum Gregorius XIII cognovit, senatum illis publice dari, eosque accipi, quo more solent Regem oratores et audiri, jussit. Ab equitum turmis, obviam longe occurrentibus deducti, appetente nocte Urbem subierunt in curru velis obductis clauso, quia solemnis introitus in diem posterum rejectus erat. Ingressi recte Professorum domum excepti fuerunt a Præposito Generali Claudio Aquaviva, cunctisque Patribus, caros hospites amplecti suavissime certantibus: mox in templum delati gratias Deo, pro tam longo itinere tam feliciter confecto, persolverunt. Postridie in Vaticanas ædes ad Pontificem inter festos procerum

* *Serm. 1. de Apostol. Petro et Paulo.*

Legatio Japonica Romæ excepta.

populique plausus, introducti, splendidissimum gratissimumque Romæ spectaculum præbuerunt. Pietas in singulorum vultu eminens, modestia nobilem et insitam Japonibus audaciam spirans; consentanea clarissimis natalibus dignitas, oculos omnium animosque rapiebat. Recitatis Regum, a quibus mittebantur, epistolis P. Gaspar Consalvius latina oratione totam legationem pluribus explicuit, id quod illorum interpres P. Jacobus Mesquita, Japon, paucioribus verbis antea fecerat. Gregorius singulos tamquam filios carissimos, et felices gentis primitias, universamque in illis Japoniam Christianam, non sine suavissimis lacrymis complexus est. Legati, Pontificios rursum exosculati pedes, ad opiparas epulas discessere. At Beatissimus Pater non contentus præclaros juvenes publicis honoribus affecisse, iisdem postea in familiari colloquio paternam benignitatem, deposita parumper majestate, indulsit. Salutati demum a Romanis primoribus, et ad omnia priscæ recentisque Romæ visenda miracula fuere circumducti. Quibus peractis Sanctissimus Pontifex, sortem felicissimam gratulatus ætati suæ, satisque se vixisse ratus, cum Orbem terrarum suis implevisset beneficiis, Ecclesiam catholicam mire amplificavisset, ac Societatem nostram maximis muneribus, quorum nulla nos capiet unquam oblivio, cumulasset: Solium Pontificium Sixto V reliquit. Legati a novo Pontifice non dissimili magnificentia ex-

cepti, et amplissimis in discessu donis ornati, Florentiam se contulerunt; ubi ab Hetruriæ Magno Duce, tum a Venetis aliisque, per quorum fines iter erat, Christianis Principibus honorificentissime tractati Olissiponem, Goam, et Japoniam octavo demum quam e patria descesserant anno, salvi et incolumes attigerunt.

Legationes P. Possevini

Dum huic Asiaticæ Legationi finis imponitur, triplicem in Europa legationem, seu Missionem P. Antonius Possevinus obiit, in Germania, in Polonia, et in Transsylvania. Priores duas illi Summus Pontifex, tertiam Poloniæ Rex mandavit. Moscoviæ legatus post confectam inter Polonos et Moscovitas pacem, a magno Duce Romam missos deduxerat in Urbem; eosdem reducere in patriam jussus est, et præteriens convenire Imperatorem Rodulphum, operamque dare componendis inter ipsum et Poloniæ Regem nonnullis controversiis, quæ in Septentrionis perniciem erupturæ timebantur. Hoc negotio feliciter absoluto excurrit in Saxoniam, inde in Bohemiam, postea in Hungariam; ubique religioni reparandæ aut ornandæ consulens. Diutius in Polonia restitit, in qua hostes Ecclesiæ summa vi conabantur impetrare a Rege ut ipsis liceret habere colloquia publica, in iisque suam de religione sententiam proponere. Istiusmodi colloquiis mirifice delectantur quicumque supremam Vicarii Christi auctoritatem defugiunt. Nimirum

in Germania,

in Polonia;

audacia sua freti, et multorum qui ad cœtus istos convocantur inscitia, pravisque cupiditatibus, plagam semper aliquam imponunt religioni. Pacem interim, concordiam, rerum tranquillitatem jactant, grata in vulgus, et speciosa nomina. Possevinus et privatis sermonibus, et erudito quod etiamnum exstat scripto Regem docuit, non conciliandam ea ratione pacem, at augenda potius dissidia. Cum a Rege nihil impetrarent Lutherani ab eo denique postularunt ut sibi fas esset Augustanam Confessionem sequi, aliis opinionibus et sectis prohibitis. Ita fore ut facilius cum catholicis convenirent, ad quorum Fidem Augustana Confessio proxime omnium videtur accedere. Id olim in Germania statuere conati erant : eorumque sententiam Cardinalis Stanislaus Hosius, Varmiensis Episcopus, inutilem ac perniciosam edito insigni commentario persuaserat. Eumdem commentarium Possevinus cum ostendisset, idem facile persuasit. Rem quoque bene gessit in Comitiis Varsaviensibus, a quibus ne quid oriretur periculi metus erat. Periculi plus esse deprehensum est in Livonia. Riga, Livoniæ caput, ex fœdere Moscovitico reddita Poloniæ, Regem Stephanum ob ejus pietatem oderat. Ferebant ægre cives restitutam catholicis cathedralem Ecclesiam, datum Societati Collegium, propositam Calendarii reformationem. Asperiora omnia reddebat Lutherani verbi præco, Romanum Pontificem Antichristum,

Rigenses ab eo turbæ componuntur

Jesuitas ejusdem prodromos et satellites, vociferans. Quibus stimulis concitata plebs, impetum in ædes ac templum collegii fecerat : nonnullos e nostris male verbis ac verberibus exceperat, vim, necem, supplicia ceteris intentabat. Ulterius progressa perfregerat custodias publicas, faces tectis injecerat, decretum religioni probrosum, exitiale Societati, a Senatu extorserat. Et quamvis Rex impium decretum rescidisset, ac seditiosos compescere serio pararet, nondum tamen compositus populi furor quieverat, cum P. Possevinus urbem est ingressus. Suas ad eum querelas cives detulerunt : imo arbitrum elegerunt conficiendæ pacis inter ipsos ac Regem, cujus non inanes fore minas intelligebant. Tanta erat omnium de illius æquitate et sapientia opinio! Eventus opinioni respondit, et cuncta paulatim ad quietem et obsequium adducta.

Collegium Derpati,

Derpati, in eadem Livonia, quies ab hæreticis et otium utcumque erat. Facile Possevino fuit Seminarium ibi condere : cujus ut pateret latius utilitas, dati sunt magistri qui, præter linguam latinam, docerent etiam Lothavicam, Estonicam, Ruthenicam, Lithuanam, Germanicam, Suecicam, et Polonicam : his enim linguis illic usus est, ob finitimos populos qui hoc emporium frequentant. Habebat jam Derpati stationem Societas. Regia liberalitate factum est ut, auctis vectigalibus, collegii formam et nomen obtineret.

Crumloviæ, Erfordiæ.

Sub idem tempus Leopolitana residentia Antistite flagitante inchoata est. Inchoatum Crumloviense collegium, instante Wilhelmo Ursino Rosensi, Prorege Bohemiæ; nec non Erfordiense in Thuringia, postulante populo, post auditam unius e nostris concionem, in templo quod reddi Cæsar Catholicis jusserat: et Senatu favente, qui edicto vetuerat ne quis molestiam catholicis facesseret. Græcii, in Styria, Carolus Archidux instituit sub disciplina Societatis omnium scientiarum Academiam (Universitatem vulgo vocant) eamque Pontifex confirmavit.

Græcii Academia.

In Belgio Alexander Farnesius, Dux Parmensis, perduelles fuderat fugaratque. Urbes passim victori se permiserant. Gulielmus Nassavius, rebellionis caput, a sicario confossus erat. Ejus nece consternati Antverpienses, post annuam obsidionem heroï Belgico portas aperuerunt. Qui statim reducendam in Collegio Societatem curavit, quemadmodum Trajecti, Tornaci, Brugisque jam ante præceperat; idque impetravit quod hactenus obtineri nequiverat, ut certis per totum Belgium reditibus, ac bonis moventibus, fundatas domos haberemus. Vices tum provincialis implebat Franciscus Costerus. Balduinus Angelius, eodem defunctus officio, nostrorum Rector impositus erat Lovanii, ubi Leonardus Lessius et Joannes Amelius initium docendi fecerant.

In Belgio melior rerum conditio.

Sex Socii, Senatus et Canonicorum postulatu Gandavum missi, in qua urbe totius Flandriæ maxima, at hæresi valde deformata, Costerus non semel tum in S. Bavonis, tum in Abbatia S. Petri in monte Blandiniensi, conciones habuerat. Initio Patres in ipsa Abbatia, deinde ad urbis interiora vocati, in domo tamen aliena degebant; donec anno MDXCII inducti fuerunt in ædes quas Joannes Hembysius quondam rebellium hæreticorum signifer occuparat. Huic prædictum fuisse ferunt, fore ut eadem sacra, quæ vexabat odio calviniano ac proculcabat, propediem colerentur in ipsa ejus domo. Collegium Gandavense,

Idem annus Societatem dedit Iprensibus. Rei auctor præcipuus fuit Martinus Rithovius qui Lainium, Salmeronem, Canisium, in Tridentina Synodo cognoverat. Iprarum ille primus Antistes indigne a perduellibus carcere detinebatur, quando inter catenas suas consilia adversus hæresim meditans, advocandam Societatem decrevit; et vinculis exemptus nihil prius habuit, quam Parmensem Ducem, et Gulielmum Pamelium arcani Consilii præsidem admonere, de censu duorum cœnobiorum derelicto, et alendis Sociis applicando. Valuit tantorum virorum apud Philippum Regem auctoritas; is quod petebatur concessit annuente Gregorio PP. XIII. Iprense,

Eo plus negotii dedit nostris Transsylvania, quod mixtam e Lutheranis, Calvinianis, Arianis,

Anabaptistis, et Pikarditis colluviem cohibere ac regere Principis adolescentis imbecillitas non poterat. Is erat Sigismundus Bathorius, Stephani Bathorii, Poloniæ Regis, ex fratre nepos. Metuens Stephanus ne Sigismundum tot venena corrumperent, Possevinum submisit, qui juvenem Principem consilio juvaret. Quod ille dum præstare omni ope nititur, Collegii Varadinensis fundamenta jecit, multos e laqueis hæreseos expedivit, signa cum variarum sectarum primipilis contulit. Pertinacior ceteris erat Franciscus David, Blandratæ discipulus, qui cum impias contra divinitatem Christi theses proposuisset, refutatus a Possevino, et in comitiis Transsylvaniæ damnatus, mortem teterrimam obiit in carcere, omnibus membris computrescens, seque a dæmonibus ad æterna supplicia raptari clamitans. P. Valentinus Ladus, P. Stephanus Arator, P. Ferdinandus Cupecius, aliique de Societate paribus animis in Siculia pari fructu Claudiopoli, Varadini, finitimisque locis rem Christianam promovebant. Laboratum etiam utiliter in variis Germaniæ urbibus. In oppido Auseck, prope Lintium, ubi ab aliquot annis Lutherus regnabat, omnes, præter septem, illum ejurarunt. In Herbipolitana diœcesi pagi duodeviginti ab eadem labe sunt purgati: Marchionis Badensis universa familia, quæ sexaginta capitum erat, Ecclesiæ restituta. Trepidatum paulisper est Romæ ob Seminaria curæ Societatis

Varadinense, etc.

commissa, et quasi non recte administrarentur apud Pontificem accusata. Singula diligenter inspici Sixtus jussit. Id negotii datum Philippo Segæ, Placentino Episcopo, postea Cardinali, cujus nota et æquitas et prudentia. Qui cum omnia sincere ac probe gubernata renuntiasset, Pontifex accusatorum querelas contempsit. Item Sixtus V vetuerat edito diplomate ne tirones in religiosum ullum ordinem admitterentur, nisi in generali aut provinciali congregatione. Rogatus ab Aquaviva rem temperavit in gratiam Societatis, cui pristinum jus integrum postea Gregorius XIV restituit. * * *anno* 1591.

Delatæ sunt etiam ad Sixtum querelæ de Superioribus Societatis in Hispania, quod prohiberent ne uterentur nostri privilegio Bullæ Cruciatæ, quo facultas datur eligendi arbitratu cujusque confessarii, per quem a delictis reservatis absolvatur. Pontifex qui hujus Bullæ usum, quod attinet ad hoc eligendi confessarii caput, jam antea Minoribus suis, cum ordini toti præsset, prohibendum curaverat, non modo Societatis factum probavit, verum etiam Gregorii XIII diploma, quo idem statuebatur confirmavit : ac Philippum Regem Catholicum (nam id per suum Romæ oratorem graviter questus erat) de tota re diligenter edocuit. Sixti V sententiam secuti sunt Pius V, Clemens VIII, Paulus V, et Urbanus VIII qui propriis singuli decretis vetitum Societati esse caput illud Bullæ Cruciatæ voluerunt.

Edicta de Bulla Cruciata.

Res Japonicæ.

Pergebat in Japonia Imperator Cambacundonus (qui deinde, Taicosama voluit appellari) favere Christianis et Societati. Patres humanissime acceptos ad convivium adhibuit. Amplum diploma concessit in gratiam religionis, cujus exemplum duplex manu sua subscriptum illis tradens : altero, inquit, exemplo hic utemini; alterum in Europam mittatis censeo, ut Reges vestri, ac Principes intelligant quam mihi cari sitis. Patrum lætitiam cumulavit reditus ipsorum in regnum Amangucii quo jam dudum fuerant exclusi, Rege Christianis infenso. Huic Imperator cum bellum veteres ob injurias indixisset, effecit Simon Condera, Christianus Princeps, Cambacundono percarus, ut pax inter utrumque componeretur, et quidem iis conditionibus, quibus commodiores nullas Amangucii Rex optare poterat. Quo beneficio provocatus liberam Evangelii prædicandi facultatem in regno suo concessit. Erant in eo plurimi Christi cultores, et acceptam a S. Francisco Xaverio, et P. Cosma Turriano Fidem inter summa pericula, et detrimenta retinebant. Facta quoque potestas divinæ legis promulgandæ ac suscipiendæ in Regno Bugeno. Id Augustinus Tzucamindonus, bellica virtute juxta et pietate Christiana clarissimus, a Faxirandono Bugi Rege impetraverat.

Statio Guaxaci in Mexico.

In Mexicano regno nova Societatis Sedes constituta Guaxaci. Ædibus coëmendis pecuniam

Hispani : templo construendo manus et operam Indi contulerunt. Socii partes Evangelici laboris ita inter sese descripserunt, ut aliqui domi præsto essent ad Verbum Dei et Sacramenta ministranda : reliqui per pagos et villas concionabundi vagarentur. Longius evagati sunt alii ad Chicimecas. Gens erat adhuc sui juris, eoque ferocior. Quotidiana ebrietas, libido frenis soluta, reliquæ vitiorum pestes impune regnabant. Ceterum indoles populi minime mala, et quod caput est, culturæ patiens, facilem medicinæ locum dedit.

Missio ad Chicimecas.

Apud Brasilos parum abfuit quin mirabili dæmonis artificio, Christiana res, et Lusitana penitus profligaretur. Cum viderent Indi ethnici fundi latius in dies Christi religionem, timuerunt ne tota regio paulatim transiret in Lusitanorum jura et potestatem per quos ea propagabatur. Conveniunt ac deliberant inter se venefici, qua ratione præverti malum possit. Quærentibus (id quod ipsimet postea retulerunt) offert se hostis animarum ac suadet ut simulacrum quoddam Christianæ religionis effingant, quo constituto, retineant pristinos mores ac ritus ; Lusitanis omnem dominandi præripiant occasionem, populum in officio, et avita pietate contineant. Ita, ut erant moniti, faciunt. Ante omnia sacrorum Regem, et Pontificem Maximum creant, et accepto a Christianis nomine, Papam vocant. Huic Episcopos, illis Sacerdotes subjungunt, quibus in aurem

In Brasilia religionis insidiosa imitatio.

peccata quisque confiteatur. Scholas quoque instituunt, erudiendæ juventuti. Nec deerat Missæ quædam imitatio, globulique filo inserti, et certæ preces recitandæ ad rosariorum, et Breviariorum similitudinem. Denique certa lavatione, ceremoniam baptismi referente, populum expiabant. Huic persuadebant venturos brevi mortuos ipsorum majores, et nomen Christianum ac Lusitanum deleturos. Ea qui facerent crederentque salvos ac beatos fore; qui dubitarent, a feris et serpentibus male perituros. Ita composito religionis idolo, dimittunt in omnem partem Evangelii novi præcones, quorum furiali voce concitati barbari conspirant in Lusitanos, ac plurimos contrucidant, vastant agros; trapeta, quibus conficiebatur saccharum, evertunt, incendunt domos, ubique flammis et ferro sæviunt. Patrum in communi periculo cura et labor erat, delinire amentes, et frenos cœco furori, quacumque via fas, injicere. Plus profecit Prætoris Lusitani justa severitas, qui seditionis auctorem præcipuum merito affecit supplicio. Hinc terror improborum, hinc fuga. Nec nihil ad mitigandos feroces animos valuit insignis venefici ad Fidem conversio : qui vocata concione, cunctos hortatus est ut abjectâ inani commentitiæ religionis fabulâ, veram pietatem amplecterentur, id quod sexcentis persuasit.

Annus Christi 1586 : Societatis 47.

Missio Societatis in Tucumania.

Memorabilem hunc annum facit Societatis ingressus in Tucumaniam. Est hæc Australis Americæ regio, et pars olim Paraquariæ. Clauditur ab ortu flumine Argenteo, seu Platensi; ab occasu, montibus Chileni regni. Patet in latitudinem ad Leucas trecentas, ad ducentas vero in longitudinem. Primaria civitas nomine Sancti Jacobi et Episcopi sede gaudet. In Tucumaniam primum Hispani vestigia posuerunt anno MDXXX. Ulterius deinde sunt progressi annis MDXLIX et MDLIII. Franciscus Victoria, Dominicanus Tucumaniæ Antistes primus, ad Patres Brasiliæ et Peruæ scripsit, aliquot Societatis homines enixe postulans. Missi sunt ex Urbe Potosio pridie Cal. Septembris PP. Franciscus Angulus, et Alfonsus Barzana, tantusque fructus pios labores Christo aspirante secundavit, ut colonorum spem ac vota superaret. Sex septemve barbarorum millia salutari fonte Barzana solus initio tinxit : nec pauciores P. Franciscus Angulus. Profecti deinde ambo novam Cordubam, unam e præcipuis Tucumaniæ urbibus, Hispanos sacramentorum munivere præsidiis, et finitimis populis cœlestis vitæ præcepta tradiderunt. Ubertate messis invitati Socii alii subinde atque alii e vicinis regnis accesserunt, præsertim e Peruano, in quo novam quoque sedem adepta Societas est, in urbe

Quitensis domus.

Quito, cognominis provinciæ capite, paulo infra Panamensem isthmum, ad oram maris Pacifici, et prope fontes fluvii Amazonum. Ea civitas Fanum S. Francisci vulgo dicitur, estque Episcopatus, sub Archiepiscopatu Limano; Antistes et regius Prætor, ceterique magistratus vocatam dudum Societatem læti acceperunt. In provincia Mexicana, statio Tepotzolanensis versa fuit in Probationis domum.

Socii Bungo ejecti.

At in Japonia non levis accepta fuit clades, et Socii Bungo ejecti, Amangucium fugere coacti sunt. Junior rex Bungi patri longe dissimilis satis cognitam domestica institutione legem Christianam, non modo amplecti cunctabatur, sed liberam ejus professionem subditis ægre concedebat; imo eorum aliquos bonis ea de causa spoliatos partim exilio, partim morte, mulctaverat. Deus ultor non longum abfuit. Rex Saxumæ, Regnum Bungi pridem inhians, infestis copiis irrumpit, urit agros, arces expugnat, rapinis omnia et incendiis fœdat. Bonzii, captato tempore, sacras ædes diruunt, evertunt Cruces, monumenta pietatis publica et privata convellunt. Funaium, Usuquium, aliæque urbes direptæ, et Societatis domus quæ in iis erant incensæ.

Graves quoque tumultus et calamitates in Europa Societatem exercuerunt. Florebant in Transsylvania Collegium Claudiopolitanum, et Seminarium Pontificium : surgebat prospere Collegium

Albæ Juliæ; et Varadini. Multi ex præcipua nobilitate adolescentes, una cum Principe Sigismundo educabantur, pie ac religiose, cum adeo secundum rerum cursum pestilentia teterrima retardavit. Tanto plures e nostris commune malum abstulit, quanto erant propriæ salutis negligentiores, ut succurrerent alienæ. Exstincti sunt Varadini duo; quatuor Albæ Juliæ; viginti Claudiopoli. Omnes domi et foris egregii, et ad restituendam in regione miserrima religionem unice intenti. Tanta strages edita unius fere mensis spatio et perlata in Poloniam, Stephanum Regem summo dolore affecit, qui Sigismundum fratris filium, carissimis magistris et adjutoribus destitutum lugebat. Cumulum nostro dolori et publico ipse addidit immatura morte, quam anno ætatis quinto supra quinquagesimum obiit. Ejus patrocinio res catholica maxime nitebatur apud Transsylvanos. Itaque religionis hostibus injecta spes ejiciendæ Societatis, quod biennio post denique sunt consecuti. Eodem pestilentiæ furentis incendio consumpti præter unum Patres quicumque degebant Constantinopoli, vacuam stationem reliquerunt, quæ nisi post aliquot annos instaurata non est.

Sæva in Transylvania contagio etc.

A seditiosis orta Rigæ magna perturbatio. Collegii rector falso crimine accusatus, et in custodiam est datus, ex qua post depulsam ægre calumniam, emissus, Vilnam trepide concessit: alii Patres, ne furori multitudinis temere vitam

Rigæ orta seditio.

objicerent, egressi civitate, vicinis oppidis operam navaverunt.

In Hispania PP. ad tribunal Inquisitionis vocantur.

Eo gravior in Hispania metus fuit, quod res nobis erat cum sacris Fidei quæsitoribus, quorum tribunal eo quo decet obsequio ac veneratione prosecuti semper sumus. Illi Provincialem Societatis conjecerant in carcerem, violatam ab eo suam auctoritatem questi. Provincialis, cum se apud ipsos utcumque purgasset, vinculis solutus est: ne quid tamen oriretur ex eo periculi, relicta Provincia Castellana, cui præerat, Toletanam regendam accepit a Præposito Generali. Doluere Quæsitores hominem nuper apud ipsos reum velut ornari novo munere, idque in suam interpretati contumeliam, eumdem in vincula iterum conjecerunt cum nonnullis Patribus, et alios aliis ex Provinciis ad dicendum testimonium evocarunt: polliciti nihilominus negotium brevi conficiendum sine molestia Societatis. Cum tamen moras traherent, et aliqui turbatores, arrepta occasione, statum Societatis convellere niterentur: Præpositus Generalis opem Pontificis imploravit. Inde aucta quæsitorum offensio, suspicantium id agere Claudium Aquavivam ut se ab ipsorum potestate penitus eximeret. Itaque cum delecti e Provinciis Hispaniæ Procuratores Romam anno sequente profecturi essent, necesse fuit ut singuli per supplicem libellum sacris oblatum Quæsitoribus peterent eundi veniam. Id vero Sixtum V acerrime pupugit.

Minaces ad eos dedit litteras, et causam hanc omnem rejici Romam jussit. Aquaviva Regem Catholicum qui sacrorum Quæsitorum causam acrius tutabatur, misso ad eum P. Francisco Porrio placare studuit. Patres e carcere sunt educti, tumultusque omnis ac metus feliciter sedatus.

Funesta semper sunt quæ populos aut inter sese, aut cum ipsorum Principibus, collidunt intestina dissidia. Certum imminet exitium corpori cujus membra non cohærent, ac perniciem aliis alia moliuntur. At nunquam funestiora sunt ejusmodi bella domestica, quam cum vera vel falsa religio classicum canit. Is erat Galliæ luctuosus hoc anno, et sequentibus aliquot, status. Qui religioni catholicæ timebant, cujus ruínam moliebatur hæresis Calviniana, in fœdus quoddam conspiraverant, ad hanc profligandam quod quidem Rex Henricus III faciendum pro sua pietate omnino judicabat. Nihilominus permoleste ferebat negotium tanti momenti, se neque conscio, neque consulto, gubernari; duces fœderis eligi, quorum consilia, non itidem ut aliorum catholicorum, recta et sincera esse merito suspicabatur, auctoritatem denique regiam, non eo, quo decebat, loco esse. Haud minus dolebat Præpositus Generalis Societatis, nonnullos e nostris non participes modo istius fœderis, sed etiam administros, prædicari, et P. Claudium Matthæum Romam se inscio venisse, missum a fœderatis ad Pontificem.

Molestiæ ex Fœdere Gallico natæ.

Itaque metuens ne nostri per causam tuendæ religionis longius procederent, quam Instituti religiosi ratio lexque sineret, severe omnibus præcepit ne se fœderatorum negotiis implicarent, et Claudium Matthæum, a Gallia remotum, Laureti considere jussit, ubi alienis curis expeditus, in salutem animarum placide constanterque incubuit. At P. Edmundus Augerius Regem cui a Sacris confessionibus erat, intempestivæ pietatis exercitationibus inaniter occupare dicebatur, neglecta interim regni et religionis cura. Hinc de illo graves et assiduæ catholicorum querelæ, quas audiens Aquaviva, neque immerito timens ne vita ejus in discrimen veniret, dum religioni obstare creditur; in Italiam eum evocavit. Id vero moleste Rex tulit, et per suum in Urbe oratorem egit cum Sixto V. ut sibi liceret eumdem apud se, quamdiu placeret, retinere. At Augerius, cognito Præpositi Generalis voluntate, Regi persuasit, ut se ab aula discedere pateretur, et inter Italos pio in otio conseniret.

Collegium Cortraci,

Belgici ob eamdem religionem motus paululum quieverant, et felicius Societati fluebant omnia. Cortracensibus Collegium dudum petentibus, diu obstiterat multis de causis Aquaviva; sed tandem civium pia pertinacia piam duritiem vicit, et promissum Collegium est. Montibus in Hannonia Dux Parmensis anno MDLXXXIII partem necessarii collocando collegio vectigalis parare

studuerat. Hoc anno Franciscus Godinius, vir et nobilitate et religione primarius, cui duo erant in Societate liberi, Ægidius et Ludovicus, Sacerdotes, aliquid vectigalis addidit et emit idoneas cum horto ædes, ut primo quoque tempore civitas optato frueretur auxilio. Itaque sex missi de Societate fuerunt, quibus præerat Ludovicus. Partem reliquam fundationis adjunxit Dux Parmensis, anno MDXCVIII. Montibus in Hannonia,

Valencenis jam totidem Socii, præfecto Bernardo Oliverio, scholarum initia ponebant, sed nihil erat firmum et stabile, donec certis cum vectigalibus datum est Societati anno MDXCI Collegium urbanum, S. Joannis vulgo dictum. Valencenis,

At Luxemburgense destitutum collegium est. Comes Mansfeldius, Ducatus Luxemburgici gubernator, necessarium domicilio fundando vectigal a civibus exigebat atrocius, et Societati hac agendi ratione conflabat invidiam, quo audito Socios, Luxemburgum anno MDLXXXIII ingressos, illico Aquaviva revocavit. Rediere postea summa civium voluntate, anno MDXCIV; conditum collegium, et Provinciæ Belgicæ attributum. Luxemburgi,

Ut Calvinus Belgium, ita Lutherus Germaniam deformarat; illumque urbes plurimæ, specioso reformationis nomine in errorem inductæ admiserant. Sed ut morbos corporis perlevi sæpe de causa contractos, non statim, nec semper facile curaveris, sic receptus semel error alte inhæret

Ratisbonæ, mentibus ac difficillime sanatur. Ratisbona, civitas antiqua, et Imperii comitiis in ea solitis haberi nobilitata, hæresim admissam videbat serpere in dies latius. Huic malo ut mature occurreret Guillelmus Bavariæ Dux, cujus filius designatus fuerat urbis Episcopus, remedium a scholis Societatis petivit. Eadem fuit mens Georgii Drascovitii, dum Unguariæ. Collegium Unguaricum fundaturus Turociensem Præposituram tunc vacantem, a Cæsare impetravit, cum duobus oppidis Sellia, et Varallia, ad eam pertinentibus. Inita rite possessio nobilis beneficii Ecclesiastici sub extremum Junium.

Annus Christi 1587 : Societatis 48.

Societas in Hispania turbatur a P. Vasquez; Excitati annis superioribus in Hispana Societate motus domestici, gravius hoc anno recruduerant. Procellæ concitator præcipuus P. Dionysius Vasquius, procerum aulicis implicatus studiis, et familiaritate cum iis parum religiosa uti solitus, ægre legum nostrarum vincula et Præsidum suorum objurgationes ferebat. Nonnulla etiam reprehendebat in Instituto nostro, tamquam ab æquitate ac moribus Hispanorum aliena. Ea ut emendari possent, faciendum putabat ut unum in locum convenirent e singulis Hispaniæ provinciis decem antiquissimi Patres et gravissimi; cum id plerisque parum probari cerneret, minime vero omnium Præposito Generali, eo descendit, ut Commissarium Hispanis Sociis dari postularet,

eique summam et nulli obnoxiam potestatem demandari. Hoc per Cardinalem Toletanum, hoc per catholicum Regem, a Pontifice Maximo impetrandum sumpserat. Vasquii sententia, modo fluminum quæ hibernis aucta nivibus, quo longius procedunt, eo intumescunt magis, multos brevi adstipulatores invenit. Idque tum maxime patuit in Romana Procuratorum Congregatione, in qua Castellanæ Provinciæ Patres eadem quæ proponebantur a Vasquio et alia quædam Constitutionibus plane inimica, enixe flagitarunt. At illis reliquarum Provinciarum Procuratores vehementer adversati sunt : imo etiam de pœna si quis hæc proponere pergeret, imponenda deliberatum est. Attonitus tanto consensu Vasquius sacros Quæsitores appellavit, quorum auctoritate fretus latuit parumper, et absurda consilia in aliud tempus rejecit.

periclitatur in Transylvania;

Ut a domesticis hostibus Societas in Hispania, sic ab externis in Transsylvania periclitabatur. Instabant Christi hostes, et omnem movebant lapidem, ut idololatria (sic enim Catholicam Fidem appellabant) e regno tolleretur, ejusque auctores Jesuitæ exterminarentur. Restitit Princeps animo constanti, ejusque nomine Senatus, quamquam Calvinianus, tumultuantes compressit. Quamobrem ingenti apparatu restauratio annua studiorum facta est Claudiopoli, et litterariæ exercitationes non vulgari eruditionis et ingenii commendatione propositæ, plurimum valuerunt ad

mitigandos etiam adversarios, quorum non pauci filios suos in disciplinam Patribus dederunt. At alii, quorum numerus major, furere non cessarunt donec Societatem, ut modo videbimus, exturbarent. Non tamdiu expectarunt Rigenses hæretici. Amoto Stephani Regis proxime demortui metu, persuasere multitudini non alia ratione pacem constare civitati posse, quam si Jesuitæ pellerentur. Id ubi per Senatores ac Tribunum plebis rite significatum Patribus fuit; nihil preces, nihil decreti popularis iniquitas demonstrata profuit, quominus discedere cogerentur. Arcem Poloni præsidio tenebant, paulum a civitate disjunctam. In hanc Socii se receperunt, dum ipsorum domum ac templum ministri hæreseos invasere.

pellitur a Rigensibus.

Tot clades consolatus est Sigismundus, Joannis Sueciæ Regis filius, in solium a Polonis evectus; cujus tanta retinendæ Religionis catholicæ constantia semper fuit, ut cum a Sueciæ proceribus undique impelleretur ad eam deserendam, certum sibi esse ac deliberatum responderit, prius carere paterno regno, quam ab ea desciscere. Patrocinium Societatis quod in Suecia professus erat, retinuit in Polonia : itaque ejus adventus cum ceterorum Patrum ardorem excitavit ad rem bene gerendam, tum vero illorum qui Samogitiam excolere cœperant. Hæc infra Curlandiam jacet, ad mare Balticum, inter Prussiam et Lithuaniam. Quam luctuosa rerum sacrarum facies ibi esset

Sigismundi Poloniæ Regis benevolentia.

Missio in Samogitiam.

colligi potest ex epistola Præsulis ad Præpositum Societatis data. *In maxima,* inquit, *Episcopatus nostri parte vix ullum qui sit confessus de peccatis in vita invenies, aut qui ad cœlestem mensam accesserit; qui orationem Dominicam, aut modum Crucis manu formandæ, teneat, qui sit Fidei mysteriorum rudimentis imbutus. Unum hoc habemus, Lutherani non sumus.* Noctem hanc Socii Vilnenses depellere conati sunt, gratulante populo, et superioris temporis tenebricosi memoriam lacrymis prosequente.

Pari gaudio, paribus lacrymis et pristinam sortem suam doluerunt, et præsente sunt lætati Brachmanes in India plurimi, solemni pompa in fidelium cœtum cooptati Goæ : quorum unus e regia stirpe oriundus magno religioni ornamento fuit. Nec minorem in Japonia probis omnibus lætitiam, aut divinæ legi decus, attulit Rex Bungi junior Christiana denique sacra cum uxore ac liberos amplexus. Quod paternæ cohortationes, et validiora omni cohortatione exempla, quod Patrum assiduæ preces, et monita consequi non potuerant, hoc Deus bello et cladibus extorsit, valuitque in eo Evangelici patris familias benigna vox : *Compelle intrare.* Regnum ejus vastaverat Saxumæ Rex : amici, clientes, dynastæ defecerant. Non audebat filius degener patrem, regem Bungi seniorem, belli curas jamdiu pertæsum, et filii moribus impiis offensum, qui paterna etiam

Rex Bungi junior, cum uxore et liberis baptizatur

consilia initio belli spreverat, implorare. Juvenis ab omnibus destituti calamitatem miseratus Imperator, et audaci Saxumano frenos injicere gestiens, ingentem exercitum in eas partes mittit, et ei Simonem Conderam præficit, ducem rei bellicæ peritissimum, religionis vero Christianæ adeo studiosum, ut merito ambigeres fortior esset an sanctior. Is tot cladium non aliam originem esse merito suspicans, quam juvenis Principis peccata, et in tuenda religione falsa pertinaciam; primum omnium exprobrata graviter improbitate, hortatur ut infensum Numen placare properet, vexare Christi cultores desinat, sanctam legem probe cognitam profiteri non cunctetur. Id si fecerit opem divinam, arma sua, Imperatoris patrocinium, paterna denique auxilia promittit. Victus amici vocibus ac sua calamitate Princeps accivit Societatis sacerdotem, et quinto Cal. Maias, cum regia familia et magna procerum parte, baptizatus Constantini nomen accepit. Deus, qui castigandis hominibus non minus patrem se præbet quam judicem, mutato Principi mutatus ipse victoriam annuit, duce Condera, qui fugatis hostibus Regem Bungi victorem, ad ipsius parentem Franciscum duxit. Ruens in amplexum carissimi filii senex lacrymis suis victoriam, ac multo magis Christi fidem susceptam illi est gratulatus; seque votorum summam attigisse prædicans, nihil sibi jam in terris obstare dixit, quominus vincula mor-

talitatis abrumperet, ac sane illis exsolutus, paucis diebus interpositis, in vitam meliorem excessit. Rex Bungi senior moritur:

Quæ fuerit viri virtus dicerem, nisi jam esset superioribus annis abunde narratum; sed publicæ tantum et regiæ quædam virtutes explicatæ fuerunt, cum privatæ et Christianæ plures essent. Asperrime in proprium corpus, homo grandis natu et valetudinarius sæviebat, jejuniis illud continuis et quotidianis flagellis atterens, interdum etiam palam, et in templo cum ceteris Christianis, ut exemplo prodesset quibus olim ethnicus exemplo nocuerat. Laboriosas peregrinationes ad pium aliquem locum pedibus obibat, cum uno e nostris Sacerdotibus, itineris longinqui tædium piis sermonibus et precatione multa levans. Usu Sacramentorum Confessionis et Eucharistiæ pene quotidiano reficiebat animum et confirmabat: rerum cœlestium meditatione vix unquam intermissa. Pro singulari sua in Reginam cœli pietate, cujus propagare cultum ardebat, ingentem numerum S. Rosariorum non solum per sua spargebat regna, sed Meacum usque ad Christianos ibi degentes missitare consueverat. Ceterum istæ virtutes pretium et splendorem e gravissimis quas forti et Christiano pertulit animo, calamitatibus traxerunt. Simul atque Christi religionem suscepit, omnes undique velut signo dato in florentem antea ejus domum clades et miseriæ conspirarunt. Uno infelici prælio regna quatuor, quæ

ejus egregiæ virtutes,

in B. Virginem pietas,

paterno addiderat, amisit; cum flore nobilitatis et viginti millibus fortissimorum militum, ipse vix salvus evasit, vixque antiquum suum regnum Bungense retinuit. Huic infelicitati accessit molestia domestica, uxor infidelis, addicta superstitioni, peregrinam religionem quasi temere susceptam exprobrans, ejusque falsitatem e præsenti statu miserrimo demonstrare studens. Eadem probra ingerebant in os frequentes Bonzii, ac Deorum suorum desertorem jure tot cladibus obrui conclamabant. Nec verbis et iræ parcebat filius, nondum Christianus, omni hoste, omni Bonzio, acerbior. Quid interim Franciscus? Ante Crucifixi Christi signum prostratus gratias illi agebat; regnorum suorum, ac rerum omnium jacturam abunde Crucis Christique possessione compensari gaudens: nec cessans illius regnum amplificare quibuscumque poterat modis, id quod hoc ipso anno insigniter præstitit. Locus ubi, post habenas regni filio traditas, placidam senectutem pio ducebat in otio, plenus erat delubris et Bonziis, qui regionis amœnitate ac solitudine abutebantur ad sacra solemnia et flagitia. Omnes ejecit, diruit fana, statuas Deorum inanium comminuit. Asservabantur mira veneratione in præcipuo illorum cœnobio prisca, et aureis descripta litteris volumina Xacæ, qui olim Japonum magister, postea Deus, ab iisdem creatus est. Pulsi templis ac domibus suis Bonzii hoc unum orabant ut ea liceret secum asportare.

Christi insignis amor.

Causam ipsorum ac petitionem susceperant potentes patroni, et minas atque arma intentabant. Contempsit omnia pius Princeps, et pestiferos codices flammis absumpsit. Hoc amplius, legis Evangelicæ præcones in omnem dimisit regionem, nec segniter suas obibat ipse partes cohortando, admonendo, incitando populo. Itaque brevi duo millia hominum, quot in Sucuma (sic tractus ille vocabatur) degebant, in ovile Christi deduxit.

Obitus Bartholomæi Regis Omuræ

Æquabat Francisci Regis pietatem, qui paulo ante illum e vita cesserat, Bartholomæus Rex Omuræ. Cum instare supremum diem vidit, Sancium, filium suum primogenitum, et proceres regni compellans: *Quartus,* inquit, *et vigesimus annus agitur, cum a P. Cosmo Turriano Christi Fidem et baptismum accepi. Christianum in regno meo nullum reperi; nunc in eo nullum, quod sciam, ethnicum relinquo. Vestrum est tueri quod, aspirante Deo feci.* Hunc in modum prosecutus, omnes ad constantiam accendit. Et momenti plus habebant viventis exempla, quam verba morientis. Dignus tum ipse, tum Franciscus, Rex Bungi, qui optimos inter Principes, et heroas Christianos numeretur.

Persecutio prima Ecclesiæ Japonicæ.

Utriusque mortem ac desiderium eo gravius Ecclesia Japonica tulit, quod cum utroque pariter exstincta fuit religionis beata pax; et erumpens, quæ hactenus compressa latuerat, Imperatoris ambitiosi et libidinosi crudelitas omnia cædibus et

duæ illius causæ.

luctu opplevit. Hunc duæ præter ceteras causæ a Christianis quos in oculis ferre videbatur, abalienarunt. Primum auditæ graves de quibusdam Europæis querelæ, quorum mores fœdissimam legi purissimæ maculam inurebant. In eos diligenter inquiri cum jussisset, comperit intemperantissima convivia, propudiosas libidines, hiantem semper avaritiam; utque facilius fidem inveniunt, præsertim apud improbos vitia, quam virtutes, persuasit sibi vera esse reliquorum Christianorum vitia et majora etiam auditis, falsasque ac simulatas eorum virtutes. Atque hæc opinio ita illius animo paulatim inhæsit, ut diceret aliam Sacerdotes Europæos docere legem, aliam mercatores Europæos sequi; et cum uno e nostris agens, ex eo quæsierit an vera crederet quæ docebat?

Alteram in Christianos sæviendi causam fœdissimo Principi libido dedit. Hanc vehementer accendit Jacuinus quidam, ipsius medicus, et impurissimus leno, in hoc unice intentus ut speciosas conquireret virgines, et in aulam perduceret. Christianas quasdam cum per vim abripere tentasset, ab iis spretus, et cum ignominia repulsus est. Id graviter dolens furcifer Imperatorem audita re furentem aggreditur meditata oratione, et: non est, inquit, quod istis mulierculis tantopere succenseas, Princeps, ita docuerunt illas Europæi Sacerdotes quos (pace tua dixerim) in perniciem Japoniæ ac tuam foves. Cernis quam multi quo-

tidie ad eorum partes et signa concurrunt. Totidem milites in tuum conjuratos caput vides. Omnes Europæis istis, magistris ac ducibus suis, solemne sacramentum dicunt, ad nutum prompti et expediti. Nec deerunt duces militiæ peritissimi. Vel unus ille justus Ucondonus quantum robur quantum decus erit Christianis partibus, cum excutere jugum volent? Nummi, naves, arma, præsto erunt simul atque innuerit. Ac vereor ut illum tam facile comprimas, si semel invaluerit, quam nuperum hunc Bonzium, qui parum abfuit quin te de solio deturbaret. Neque te Christianorum modestia moveat, nulla gens simulandi et dissimulandi peritior, nulla callidior. Istas virgines, quæ te ferociter spreverunt, noli credere erga omnes adeo duras et invictas esse. Multorum ex hac peregrina secta infandas libidines et scelera, nobis ad hanc diem ignota, nuperrime comperisti; ceteros similes illis puta. Dii, quorum templa evertunt, statuas comminuunt, religiones sanctissimas et vetustissimas proculcant, ultorem te poscunt. Illorum honori, tuæ ac tuorum incolumitati, et saluti consulere tempus est.

Hac oratione accensus Imperator, et libidine, religione, metu æstuans : tum Justi Ucondoni procerumque Christianorum opes, auctoritatem, arma attentius reputans, unum e regiis apparitoribus ire confestim ad Justum Ucondonum jubet, atque hoc illi suis verbis denuntiare : Utrum malit,

Exilii lex fertur

relicto Christo, Deos patrios cum Imperatore
in Justum Ucondonum colere; an Deorum et sui Principis offensionem cum exilio sustinere? Ad hæc vir fortis, placido ac renidenti vultu : Ito, ait, et Imperatori renuntia posse me, ac paratum esse, exilium et necem ipsam sustinere : Christum ejusque legem sanctissimam deserere nullo pacto posse. His cognitis, Imperator mittit alium ad Patres apparitorem, quærit quo jure bellum Diis Japoniæ indicant, novam invehant religionem, homines in sua verba
et in Patres. Sacramento adigant? Vehementer obstupuere Patres, nondum comperta mutationis tantæ causa, et ad singula postulata non minus modeste, quam pie constanterque responderunt. Quibus efferatus barbarus multa in Christi legem Christumque impie ac furiose deblaterans sententiam exilii scribit, edicitque ut intra vicesimum diem Japonia omnes excedant. Negavit P. Coëllius, nostrorum in Japonia præses, fieri posse ut omnes ante diem vigesimum discederent; cum navis unica, quæ ipsos in Sinam veheret, non esset ante sextum mensem solutura. Respondit Imperator convenirent saltem omnes in urbem Firandum, ibique expectarent dum navis vela faceret. Dimissis inde per civitates præconibus significat ejicere se Patres, eo quod legem Diaboli promulgent, Diisque Japonicis adhibere cultum abnuant. Cruces e vexillis deleri, e locis omnibus ubi fixæ fuerant, refigi; omnia Religionis Christianæ vestigia jubet aboleri.

Erant in Japonia Societatis homines centum viginti. Quæsierunt inter sese, num discedere omnes expediret. Placuit ut Sacerdotes remanerent, latebris et silentio tecti : præsertim cum eos invitarent ultro proceres Christiani et certissimum capitis fortunarumque discrimen ea de causa subire non dubitarent. Exules quippe in Japonia non tantum bonis omnibus spoliantur, verum etiam ipsorum parentes, liberi, affines, amici, subditique. Additur in exilii lege mors obeunda quandocumque Principi videbitur : aqua ipsis et igni ubique interdicitur; nemini ut fas sit eos juvare tecto, foco, cibo. Ad hunc modum damnatus exilio Justus Ucondonus, gemino Principatu exutus momento fuit, desertus a multis clientium et subditorum millibus, præfecturis et militiæ honoribus amplissimis spoliatus. Tot bonorum jactura constantiam virilis animi non infregit, ac ne frontis quidem serenitatem obscuravit. Patres, quibus nihil erat in caducis bonis, quod amissum valde lugerent, detrimento florentis Ecclesiæ vehementer afflictabantur. Hæc illa est Japonica persecutio prima, quam aliæ decem, cum religionis excidio, consecutæ sunt.

In Italia Neapolitanam Probationis domum ante aliquot annos a Nenusino Principe Fabricio Gesualdo inchoatam, Anna Mendoza, Comes Sancti Angeli absolvit. In Hispania, civitas Hispalensis Societati gymnasium publico sumptu decre- Domus Prob. Neapoli. Hispalense Collegium

et Domus Professorum.

vit exstruere : domusque Professorum pari civium studio ædificari cæpta. Bruxellensis quoque Senatus, re ad consilium publicum relata, ex communi consensu nonnullos petiverat Socios, anno superiori; tunc initium aliquod Collegio datum est : hoc autem anno in æde stabili ac laxiore plenius absolutum est.

Collegium Bruxellense.

Missio Castrensis.

Advenerat tum Bruxellis P. Thomas Saillius, unus e duodecim P. Possevini multis annis per Moscoviam socius. Hunc Dux Parmensis sibi devinxit conscientiæ arbitrum, comitem in bello perpetuum. Sociorum desiderio cæteri accenduntur militiæ Præfecti, eorumque auxilia a Duce obnixe postularunt : quo adnitente duodecim, interdum ad viginti, Sacerdotes cum totidem Coadjutoribus a Provinciali impetrati sunt, quibus omnibus cum Superioris potestate P. Saillius præfectus fuit. Atque hæc prima est in Belgio Missionis Castrensis origo; ut ut ante nonnunquam Patres operam in castris posuerint.

Annus Christi 1588 : Societatis 49.

Ejicitur Societas ex Transylvania

Exilio Societatis in Japonia simillimum est ejusdem exilium in Transsylvania, nisi quod hoc ab hominibus Christianam professis legem conflatum fuit, illud ad hostibus legis Christianæ. Apertas cum catholicis et Societate gerebat inimicitias Demetrius quidam, Arianorum coryphæus; neque finem ullum faciebat clamitandi vigere ac vales-

cere in dies Papisticum nomen et Jesuiticum : evertendas arces et domicilia superstitionis: (Claudiopolitanum, aliaque Societatis collegia, et Seminaria significabat). Circumveniri per causam litterarum juventutem, et aures teneras Romanis dogmatibus imbui. Hæc aliaque atrociora privatim ac publice occinens populo et nobilitati, struebat in Patres invidiam, succinentibus magna voce Calvinianis atque plaudentibus. His agitata stimulis nobilitas furebat. Jactatæ ab illa in conventu Provinciali non molles querelæ, satis fortiter a Principe Sigismundo sunt neglectæ initio, nec timide a nostris refutatæ : demum religionis et Patrum causa examinanda rejicitur in proximum Generalem conventum, habendum ultima sacri adventus Dominica, in oppido Meges dicto. Ibi conjecta in Societatem ab Arii et Calvini discipulis usitata crimina, quod seditiones ac tumultus, quod idololatriam, quod Papisticum dominatum importaret; aliaque id genus, quibus responsum graviter tum a Patribus voce et scripto; tum a proceribus nonnullis pro veritate ac justitia pugnantibus. Numero vincebantur. Clamitabat multitudo, et negabat tributa in posterum pensitanda Principi, nisi de Societate pellenda consentiret, ac legem exilii subscriberet. Attonitus tanta contumacia, tanto consensu, tot minis fractus, et cedendum parumper tempori existimans, subscripsit : ipsoque Natali die Christi Domini Patri-

bus decretum significatur, ut Transsylvania tota cedant : ne cuiquam deinceps liceat quempiam illorum domi habere; neque iis, aut religiosis ullis viris accessus deinceps in regnum pateat. Socios discedentes benigne allocutus Princeps, temporis acerbitatem excusavit : egit gratias pro educata pie ab iisdem pueritia sua, sancteque pollicitus nunquam se recessurum a catholica Fide, in qua per eos fuisset institutus. Adjecit litteras, quibus testabatur idcirco dimissos, quod eos nobilitas ferre religionis causa nequivisset, suis muneribus recte laudabiliterque functos. Præpositus Generalis Societatis non admodum probavit quod omnes abiissent : potuisse enim aliquot remanere, majori cum spe, quam periculo.

Ejecti Transsylvania Patres alii refugerunt in Poloniam, Austriamque; alii vicinam in Moldaviam; in quam aliqui e nostris, jubente Sixto Pontifice, per idem tempus subiere. Moldaviam Getæ olim, sive Daci tenuerunt. Ruthenicum fere schisma sequitur, admistis catholicis, Armeniisque schismaticis : nec absunt asseclæ Arii, Calvini, et Lutheri. Tota regio Turcarum Imperatori vectigalis est, qui Principes arbitratu fere suo imponit, deponitque. Præerat ea tempestate Princeps nomine Petrus, secta quidem Ruthenus, et catholicorum studiosus, quorum mores doctrinamque didicerat a quodam Epirota, cubiculario suo, apprime catholico. Eo instante Societatis Patres

Moldavia excolitur.

expetierat, e quibus quatuor in Moldaviam ineunte Septembri pervenerunt : ac litteras Pontificias Principi reddidere. Illas pie deosculatus imposuit capiti, venerationis ergo, et de Romanæ Sedis auctoritate multa præclare dixit. Aderat Monachus Græcus schismaticus. Ex eo cum quæsivisset quid sentiret de primatu Sancti Petri, respondit Græcus fuisse quidem illum inter Apostolos primum ordine, sed potestate parem. At enim, subjecit Princeps, cuinam claves, quæ summam potestatem indicant, Christus Dominus tradidit? Traditas Petro non negavit. At Petrus cuinam post se habendas reliquit? Hæsit Græcus, et summam in Christi Ecclesia potestatem Petro, ejusque successoribus datam fateri coactus est. Ita comparato Principe facillimum fuit Patribus tum iis qui ex Italia, tum qui ex Transsylvania venerant, catholicos, quorum ad millia quindecim censebantur, omnibus præsidiis adjuvare.

Dum externo quasi bello vexabatur Societas in Transsylvania, eadem domestico laborabat in Italia, et Hispania. Inter epistolas quibus alumnos suos ad religiosæ vitæ perfectionem S. Ignatius accendebat, exstat una de virtute obedientiæ, qua nihil in hoc genere perfectius excogitari posse inter omnes constat. Aliquid in ea tamen minus recte scriptum videre sibi visus est P. Julianus Vincentius, homo in arrepta semel sententia obfirmatus, et suo judicio plus ac sensui, quam alieno et

Insimulat Societatis obedientiam P. Vincentius

communi tribuens. Nonnullas ex hac epistola sententias decerpsit, easque summo Pontifici Sixto V cum maligna quam addiderat interpretatione obtulit. Displicebant illi præsertim istæ voces quibus hortatur suos S. P. Ignatius ut *ad ea facienda, quæcumque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis, parendi cupidæ, sine ulla prorsus disquisitione ferantur**. Hinc effici volebat Julianus, obtemperandum esse Societatis moderatoribus errores etiam et peccata imperantibus, aut certe ipsis eam auctoritatem arrogari, quæ summis tantum Pontificibus tribuenda videatur, ut quidquid præcipiant, decernantve, errare non possint. Eosdem accusabat præterea de severo nimis imperio, arrogantia, imprudentia, et aliis id genus vitiis. Quæ cum apud P. Ludovicum Santanderum, virum bonum, fraudulentus veterator expostularet, isque hominem partim doceret, partim consolaretur et hortaretur ad obedientiam, finxit improbus assentiri se omnibus, et ne tam piæ cohortationis unquam oblivio ipsum caperet, rationes, ut aiebat, a Santandero sibi propositas conjecit in chartam, ac rogavit ut ei nomen suum apponeret. Quod ille, primos chartæ versus veloci percurrere oculo contentus, fecit. Sed in extrema charta, inter alia pejoris notæ capita, illud additum erat: in rebus fidei Præpositum Generalem Societatis errori obnoxium non esse. Julianus detulit chartam hanc ad sacros Quæsitores, nomine

* *Epist. n.* 18

P. Santanderi obsignatam, qui statim in custodiam datur ex qua tamen paulo post, re cognita, est emissus.

At Sixtus Pontifex Juliani libellum, et quæ in epistola B. Patris et Constitutionibus ab eodem observata et reprehensa intellexerat, cum examinanda iisdem Quæsitoribus tradidisset; ab his censura satis acris edita fuit. Itaque de Præpositi Generalis mandato Robertus Bellarminus erudito scripto primum ostendit: quæ subjecta notio esset huic voci, cum obedientiam cæcam vocamus, et quanto in pretio sit habenda, idque luculentis sacræ scripturæ ac Patrum testimoniis demonstravit. Deinde refutavit calumnias in epistolam B. Patris a Juliano conjectas: ac planum fecit nullo pacto tribui Præposito Societatis, aliisve Rectoribus, certam neque obnoxiam errori, dum præcipiunt aliquid aut definiunt, auctoritatem. Postremo docuit nihil esse cæcam illam obedientiam, nisi parendi alacritatem, imperio solo contentam, neque scrutantem quid, a quo, et quamobrem imperetur, nisi appareat legi divinæ contrarium; quam exceptionem B. Pater tum in constitutionibus, tum in hac ipsa epistola sæpius disertis verbis exprimit, quæque sola satis superque est ad refellendum quidquid objici contra potest. Imo non vetat: *si quid forte occurrat a Superioris sententia diversum, idque consulto suppliciter Domino, exponendum videatur,*

Quid sit Obedientia cæca.

* *Ibid. n.* 19 *quominus id ad Superiorem referri possit.* * Hæc omnia purpuratis Patribus huic quæstioni præpositis omnino satisfecerunt; non item P. Juliano, qui cum pristinas movere turbas pergeret, neque vocibus contumeliosis in Cardinales, in ipsum summum Pontificem abstineret, inclusus est, tamquam parum sanæ mentis, in carcerem, in eoque paucis post mensibus vitam infelicem clausit.

Visitatio Societatis

Quod Julianus velut aperto Marte moliebatur, id alii quidam e nostris rerum novarum cupidi, per cuniculos efficere conati sunt, et statum Societatis immutare per speciosum nomen reformationis. Philippo regi Catholico persuasere, multa esse in Societate quæ tolli, emendari, restitui oporteret. Inde natas, quæ illam in Hispania vexabant, turbas. Id porro non posse fieri commodius, quam si præcipuæ auctoritatis Antistes lustraret ejus domicilia, et cognitis singulorum moribus et querelis, omnia pro imperio arbitrioque componeret. Huic negotio Rex Hieronymum Manricium Carthaginensem Episcopum destinavit, annuente Summo Pontifice, probantibus Cardinali Quiroga, ceterisque sacris Quæsitoribus. Ut vero id mitius acciperetur, imposita Manricio provincia palam erat inspiciendi religiosas omnes familias, quamvis ea machina in Societatem unice comparata esset, ut ipse Manricius non obscure significabat. Ingemuere Socii amantes disciplinæ veteris et Instituti nostri ab Orbe Christiano, a Triden-

per externum Antistitem,

tinis Patribus, a Summis Pontificibus tam sæpe approbati : utque Regem a suscepta sententia deducerent, collegerunt gravissimas rationes, quæ ostendebant Visitationem ejus generis neque esse necessariam, neque ad remedium, si quo esset opus, afferendum opportunam : Societati vero plane pestiferam. Id Philippo et per supplicem libellum ipsi oblatum, et coram demonstrare viva voce studuerunt, non pauci dumtaxat privati, sed Provinciæ omnes Societatis in Hispania et Lusitania : quæ gravibus litteris communi scriptis nomine, communem causam susceperunt. At Romæ Claudius Aquaviva, rei gravitate commotus, et in Rege præsidii parum videns, Pontificem confestim adiit. Cui Sixtus : persuasum, inquit, nobis est religiosas familias, nisi per homines e suis ordinibus, visitari non debere : idque ipsum peculiari per eos dies decreto sanximus; verum isti nobis tam obstinate molesti et importuni fuerunt, ut diploma expressum fuerit, et in Hispaniam transmissum. Quid remedii superest? Hoc superest, inquit Aquaviva, ut Visitationem non ante aggrediantur, quam Sanctitatem vestram de omnibus faciant certiorem, et ipsi capita perscribant, de quibus examen instituendum censuerint. Addidit nonnihil quod ipsum proprie Manricium spectabat; quod simul atque Pontifex intellexit, omnino judicavit nequaquam decere ut hoc illi negotium committeretur, ac Regi denun-

quomodo et cur rejecta.

tiandum curavit sibi non placere ut concesso diplomate uteretur. Agnovit etiam Philippus fucum sibi a turbatoribus fuisse factum, qui externum Visitatorem a tota Societate postulari affirmassent. Eumdem anno sequenti placare diligentius Aquaviva laboravit, missis in Hispaniam Patribus Josepho Acosta, et Roberto Personio per quos perspecta plenius causa, Rex liberum Societatis gubernandæ arbitrium Generali Præposito reliquit. Ad imponendum huic perturbationi finem non parum adjuvit obitus P. Dionysii Vasquii, tumultuantium antesignani, qui eorum pœnitens quæcumque contra Societatem dixerat feceratve, decessit Toleti. Altera turbarum fax P. Franciscus Abreus, e Societate pulsus est.

E Japonia quamplurimi Socii demigrant;

Non tam cito finis imponendus Japonicæ tempestati videbatur. Fuerant sex menses ab Imperatore præstituti Patribus, ut Amacaum e Japonia discederent. Iis elapsis navarchus Lusitanus, cujus sola tunc oneraria solvebat e Japonia in Sinam[1], negavit se tot homines in suam accipere navim posse, mercibus onustam, aliisque vectoribus. Itaque paucis admissis, alios in sequentem annum coactus differre, vela fecit. Moram hanc a Patribus consulto quæsitam suspicatus Imperator excanduit, et novo edicto flammis aboleri templa Christianorum jussit. Ducenta et quadraginta numerabantur. Horum pulcherrima quæque, puta Meacense, Ozacense, Sacaiense statim eversa

sunt, aliaque furori gentilium magis obvia ad septuaginta, itemque Cruces innumeræ editioribus in locis conspicuæ. Una spes mitigandi barbari posita erat in Christianis aliquot Regibus, et proceribus, quos inter Simon Condera, et Augustinus Tzucamindonus præcipuum gratiæ locum obtinebant. Favebat etiam aperte Christianæ legis cultoribus uxor Imperatoris, nec non frater, et fratris filius : satisque constabat ipsum Justi Ucondoni jactura exilioque mœstum, non facile adductum iri ut negotium super religione facesseret aliis Principibus viris, ne tam strenuis ac fidis copiarum ductoribus carere cogeretur. Habebat hoc etiam, inter plurima mala, boni, quod victis hostibus facile temperaret. Sic lenitatis captabat famam, et imperium firmabat. Eamdem ob causam legem exilii Patribus irrogati urgere destitit, illosque, mutata veste, et clausis quæ supererant ædibus sacris latere passus est. Huc adde, quod exilii legem ita consuetudo Japonum interpretatur, ut qui mulctatus est exilio, legem censeatur implevisse modo ne veniat in Principis conspectum, careat hominum cœtibus, et comam cum barba ponat, quasi ea ratione inter cives et in patria esse desineret. Consuetudinem hanc secuti Patres Religionem aliquamdiu ac Societatem in Japonia servaverunt : alii quidam religiosi viri alia secuti consilia, utramque in graves angustias conjecere.

latitant plures,

et baptizant multos.

Per hanc veluti malaciam ethnici ad viginti millia Christiana sacra susceperunt. In quibus eminebant Isafaius Regis Protasii sorore genitus, et Regina Tangi, Jacondoni Regis Tangi conjux, genere, forma, ingenio præstans. Audierat de Christiana lege, ardebatque illam plenius cognoscere. Sed clausa domi tenebatur, mariti jussu, qui ad bellum profectus, et formosæ conjugi timens ab Imperatoris libidine, custodes illi apposuerat, ac vetuerat ne quem, se absente, hospitem intro admitterent, aut Reginam efferre pedem limine paterentur. Invenit ipsa tamen quo pacto per posticum elaberetur in templum Societatis, mutata veste. Ibi auditis Patribus, dubia quædam proposuit tam decenter, tam ingeniose, ut principem feminam esse non dubitaverint, neque sint ausi baptismum, licet enixe flagitanti, conferre, ne quid ejus causa turbarum, tam infesto tempore oriretur. Inter hæc senserunt abesse illam custodes famulique. Tota quæsitam urbe, tandemque in templo Societatis inventam reduxere domum, ac ne quo dilaberetur intentiore cura laborarunt. Inde tamen (quod unum poterat) scripsit ad Patres, interprete ac ministra matrona Christiana custodibus minime suspecta, quæ a Patribus edocta Reginam baptizavit, cum puellis ejus nobilibus septemdecim. Rex e bello redux, ubi audivit conjugem suam esse Christianam, diris illam vexavit modis, et virtutem fortis feminæ per an-

Reginæ Tangi constans pietas

nos complures exercuit, donec ærumnis domesticis confecta pie decessit anno MDC, mense sextili : viro ipso constantiam et pietatem admirante, qui ejus funus quam apparatissimum Christiano ritui fieri voluit, ipsique non sine lacrymis et dolore præteritæ acerbitatis interfuit.

Ecclesiæ Japonensium primus Episcopus,

Alterum funus Patres Japonios antea non levi dolore affecerat. Visum erat Summo Pontifici, ad confirmandam in Japonia et ornandam religionem expedire ut suus daretur Ecclesiæ Japonensi Episcopus, quæ tot reges, tot dynastas, tot millia Christianorum numeraret. Rex Philippus P. Sebastianum Moralem, Lusitanæ Societatis Provinciæ præpositum, Pontifici ad id munus obtulerat : a quo probatus, et Japonum primus Episcopus Olisippone fuerat sexto Cal. Apriles hujus anni consecratus, nec ita multo post cum Sociis septem in Indiam solverat. Navigatione parum salubri usus, grassante per vectores et nauticam turbam pestilenti lue, cum diurnam nocturnamque operam juvandis ægris impiger et indefessus adhiberet, oppressus morbo est, et Mozambici, ubi classis Lusitana substiterat, sepultus.

P. Morales,

in itinere moritur.

Nostri cum eo profecti ex Europa, Goam incolumes tenuerunt, ubi rem Christianam valde amplificatam læti viderunt. Novem hominum millia hoc anno fuerant Christo adjuncti. Præter plurimos Brachmanes, toti quatuor pagi ad Ecclesiam communi consensu aggregati erant, quo-

In India orientali, plures convertuntur;

rum unus tam perdite idolis addictus erat, ut proposita publice capitis pœna esset, si quis de amplectenda Christi fide loqueretur aut deliberaret. Rapto fere vivebant; jam nec limites agris erant, nec omnino certa cuiquam ullius rei possessio, lex nulla, nullum jus, vis et audacia dominabantur; quæ morum perversitas annis XL inveteraverat. Quanta cœlestis gratiæ virtus, quæ tot belluas in homines Christianos momento convertit! Conditæ statim fuerunt leges, discordiæ quibus in mutuam perniciem armabantur, exstinctæ; lites arbitrio Sacerdotum compositæ ac decisæ. Cumque animadvertissent, superioris vitæ morumque labem ex ebrietate profluxisse, sancitum edicto fuit, ut omnes in posterum vino penitus abstinerent.

Collegia, in Mexicana provincia;

In India, quam Occidentalem vulgo sive Americam vocant, parem divinæ gratiæ vim licuit observare, in iis præsertim urbibus, quas frequentabant Hispani et Lusitani. Singula propriis exemplis notare longum est. Mexicanæ Provinciæ domiciliis accessit collegium Vadalaxaræ, in nova Gallæcia, Antistiti, clero, civibus reliquis, in id opus conspirantibus. Additum collegio Mexicano Seminarium S. Ildephonsi nomine insignitum.

Arevali in Hispania;

In Hispania vetere natum est Arevalense collegium, parente Ferdinando Tellio Gusmanio, qui cum careret prole, quæsivit ex uno de nostris quo potissimum in opere Christianæ charitatis

collocare fortunas suas posset. Respondit ille ab eo nihil fieri acceptius Deo, nihil utilius civitati posse, quam si religiosam aliquam familiam in eam induceret; ac multas nominatim laudavit, nulla mentione facta Societatis. Delectatus hac modestia Gusmanius Societatem præ ceteris inducendam putavit. Est Arevalum in Castella Veteri, et in limite regni Legionensis ad fluvios Adaiam et Arevalillum.

Quominus in Gallia fieret satis plerisque civitatibus Societatem certatim expetentibus obstabat difficultas temporum, et civilis discordia, quam Calvinianus furor invexerat. Anicienses tamen retardare nihil potuit quin collegii demum compotes fierent, quod ab annis viginti non petierant modo, sed paraverant exstructo domicilio, et præfixo foribus sanctissimo nomine Jesu : Anicium, sive ut vulgo appellatur, Podium, civitas ampla, Episcopi sedes, priscorum Velaunorum caput, infra Lugdunum, haud procul Rhodano, visitur. Crumloviense in Bohemia designatum jam a triennio, scholas erudiendæ juventuti aperuit. Monasteriense condidit Princeps Episcopus Monasteriensis; ea Westphaliæ civitas, quæ olim Minigroda, nunc Monasterium, ab insigni Deiparæ cœnobio in ea posito, dicitur; catholicam religiosam a Carolo Magno, Saxonum domitore, acceperat, integramque servaverat, usque ad Lutheranum incendium, quo cum plerisque urbi-

Anecii, in Gallia;

Crumloviæ in Bohemia;

Monasterii in Westphalia.

bus Germaniæ, deflagravit. Illud quidem magna ex parte Princeps idemque Episcopus restinxerat; metuens tamen ne ignis, ut sæpe fit cineri doloso suppositus revivisceret, Societatis operam accivit. Multas multi moras objecerunt. Eas denique superavit hoc anno Ernestus Bavariæ Dux, et Episcopus Coloniensis, a Canonicis electus Princeps et Præsul Monasteriensis.

Missiones evangelicæ quædam, etc.

Inter Evangelicas excursiones, in quibus explicata religionis et pietatis vexilla, tres potissimum hoc anno peractæ celebrantur. Prima in Stiriæ inferioris finibus, qua in Hungariam vergit. Ibi Fustenfeldia est, civitas non ignobilis, at misere tunc per hæresim depravata. Catholici erant perpauci, alii omnes in Lutheri verba juraverant tam dementi pertinacia, ut palam conclamarent se paratos esse æterna prius subire supplicia, quam a carissimo magistro suo discedere, quamvis luce clarior veritas sibi ob oculos poneretur. Virum primarium, qui jus in urbe dicebat, veneno sustulisse dicebantur quia nuntium Luthero remiserat; alium qui ei successerat, et nomen suum pariter professus inter catholicos fuerat, vulneribus impositis pro mortuo reliquerant. Sub Paschales ferias inclinatio quædam ad meliorem spem fieri visa. Cumque spem oblatam urgerent Patres, Natalitiis Christi festis, cives omnes, exceptis quatuor nondum satis præparatis, et universi præter unum Senatores

ad avita sacra rediere. Multa deinde ad stabiliendam pietatem revocata vel constituta, tanta populi voluntate, lætitia, consensu, ut se ipsi mirarentur et pristinam cæcitatem suam deplorarent. Non dissimili gratulatione, oppidum Lauffenum, sive Lauffenburgum (Schafhusam inter Basileamque situm) et olim cum ipsa Basilea, cujus in diœcesi censetur, disjunctum a Romani Pontificis auctoritate, illi denuo est adjunctum; clausa in perpetuum Synagoga Lutherana. Pari successu gesta fuit expeditio ad Mesacos in Belgio, quorum urbs in Leodiensis diœcesis finibus ad Mosam, Maesyca vulgo dicitur. Non minori animo fructuque versata est nostrorum inter milites industria, nunc in Verdugi, ad Bonnam, nunc in Alexandri Parmensis Ducis castris, ubi Sacerdotes interdum ad viginti strenue desudarunt.

Sed Joannem Pistorium vicisse, instar trophæi quanticumque fuit. Ingenio doctrinaque non vulgari pollens, et inter primarios Lutheri duces diu numeratus, ab eo transfugerat ad Calvinum, in quo plus nescio quid modestiæ ac severitatis animadvertebat. Nihil in eo tamen, præter cerussam et fucum, reperit. Anxius quo se verteret, Spiram venit, ubi frequenti cum nostris usu, dogmata catholica diligentius introspexit. Omnia solida et bene fundata, nihil calamistratum, fucatum nihil deprehendit. Subiit hominem pœnitentia, nec dubitavit pristinos errores in Spirensi

Societatis collegio, sacro Pentecostes die recantare. Refutandis sectarum errantium præstigiis et fraudibus constantiam probavit tanto confidentius ac certius, quanto illos notiores habebat. Ausus etiam Smigdelinum, Lutherani agminis eximium centurionem, ad certamen provocare; ac testem publici de religione prælii Marchionem Jacobum Durlacensem appellare. Smigdelinus Pistorium tamquam imparem adversarium recusans, ita se certaturum respondit, si daretur sibi Societatis theologus, quem posset honestius debellare. Accepta est conditio; processit e collegio Molsheimensi P. Theodorus Busæus. Badam certaturi convenerunt. Smigdelinus male in prælio acceptus paulo post obiit; credo, rei parum feliciter gestæ pudorem et ignominiam non ferens. At Marchio, eventum pugnæ considerans, et plenius eruditus ab eodem P. Busæo, partes erroris male fultas deseruit : mox regionem suam impiorum contage purgavit, exilio constituto si quis Lutherum sequi pergeret, eo nomine memorabilis, quod primus Lutheranorum Principum, ut perhibent, ad vetera sacra redierit, in quibus ad extremum usque diem constans invictusque permansit. Interfuerat disputationi Joannes Zehenderus, Lutheri defensor acerrimus. Qui dum Smigdelinum multis vulneribus acceptis debilitatum sustentare nititur, salutari percussus est plaga, et nomen suum catholicis, ac demum Societati nostræ dedit.

Annus Christi 1589 : Societatis 50.

Sixtus V examinari Societatis Institutum jubet.

Quæ Societatem annis proxime superioribus turbaverant procellæ, quamvis pleræque graves et periculosæ, metum nihilominus eo leviorem incutiebant, quod paratum semper in paterno Summi Pontificis sinu et patrocinio perfugium habebamus. Ea nobis consolatio adempta hoc anno fuit, cum immutatus repente Sixti V animus, inde periculum ac metum creavit unde prius auxilium spesque petebatur. Occulti quidam Societatis perturbatores, multa de Instituto nostro ad eum perscribere, et criminari non cessabant. Eorum libellos et querelas initio contempsit : mox, rerum quæ narrabantur gravitate permotus singulæ diligentius examinare statuit. Ipsi displicuit Societatis Jesu nomen, tum ratio reddenda conscientiæ ut nostris præscribitur legibus, varietas graduum, dilatio professionis, correctionis fraternæ lex, et alia id genus. Res erat plena periculi et timoris, tum quia de præcipuis quibus universa stat Societas capitibus agebatur; tum quia notum Sixti V ingenium, acre et propositi tenax. Aquaviva, post indictas nostris ad conciliandum Numen preces et sacrificia, rationes collegit quibus legum Societatis æquitas utilitasque demonstrabatur; simul deferendas curavit ad Pontificem litteras Principum, civitatum, ac præsertim Nuntiorum Apostolico-

rum, e quibus Societatis mores, doctrinam, fructum cognosceret. Ecce autem alius ad rem magis implicandam nodus. Hispaniæ Rex Philippus II de Societate nostra sollicitus, quam suis in regnis domestica dissensione laborare cernebat, scripsisse dicebatur ad Pontificem, ab eoque postulasse ut domorum nostrarum et collegiorum Rectores non a Præposito Generali, uti semper ad eam diem factitatum erat, sed a singulis familiis, in publico cœtu, quod Capitulum vulgo vocant, eligerentur : ut in capitulo totius Provinciæ suus cuique gradus, Professorum aut Coadjutorum tribueretur; ut certum definiretur tempus, quo singuli alterutrum ex his gradibus caperent. Hæc aliaque hujusmodi ut Societatis fundamenta convellebant, sic iis acriter obstitit Aquaviva, et Cardinales causæ isti cognoscendæ a Sixto præpositos, ac præsertim Cardinalem Carafam, per quem referri sibi aliorum judicia Pontifex voluerat, diligenter edocuit cur S. Ignatius paulo diversam ab aliis Ordinibus religiosis gubernandi rationem excogitasset, cur summam Præposito Generali auctoritatem, in eligendis Rectoribus, in assignandis gradibus et negotiis gravioribus conficiendis tribuisset : cur Capitulis in Societate locus esse non posset. His consideratis, et Cæsaris, Regum, Principum, ac Nuntiorum præcipue suorum litteris perlectis, Pontifex negavit sibi esse in animo quidquam in Societatis Instituto mutare, quod

laudabile, et Ecclesiæ Sanctæ utile esse fateretur, ac plane conservatum vellet. In eamdem ferme sententiam disseruit Rex Catholicus, ac facile passus est abrogari interdictum quo vetuerant Sacri Quæsitores ne quis e Societate Transsylvaniam, et alias regiones hæresi contactas eorum injussu adiret. Audivit etiam libens P. Robertum Personium qui sedem aliquam et Seminarium in Hispania petebat Anglis juvenibus e patria ob religionem profugis. Favebat huic petitioni temporis opportunitas quo bellum Rex in Anglos adornabat. Id enim si e sententia gereretur plures habiturus erat Sacerdotes in illo seminario educatos, et ad restituendam in Anglia pietatem idoneos : si bellum non succederet, ex eodem domicilio prodituri erant Evangelici operarii, qui Anglorum catholicorum reliquias conservarent. His rationibus adductus Philippus Anglorum Seminarium Vallisoleti fundavit.

Vallisoleti Seminarium Anglicanum.

Lætus Aquaviva ob sedatos metus, quos Roma, quos Hispania intentabat, fructum e præterito periculo capere studuit. Cumque intelligeret Societatis recte gubernandæ rationem in singulis domorum moderatoribus præcipue positam esse, qui si recte munere suo fungerentur, cursum tenerent omnia secundissimum, eos adhortari non contentus, decretum edidit, quo jubebantur quotidie, aut alternis saltem diebus, horam collocare in officio et munere suo considerando; et ordinandis

Rectoribus imperata considerationis hora.

Quis usus orationis et mortificationis.

rebus quæ ad rectam familiæ sibi commissæ administrationem pertinerent. Addidit epistolam anno sequenti, de usu orationis, et afflictationum corporis, in Societate servando. Causam scribendi dederunt e nostris alii contemplationi et austeritati plus æquo dediti, alii modum illis virtutibus ex Instituti fine legibusque ponendum existimantes. Utramque sententiam suis libravit momentis Aquaviva, et quænam austeritatis, quæ contemplationis via et modus Societati conveniat, explicuit.

Galliæ perturbatio.

Compositis parumper, qui Societatem Hispanam agitabant, fluctibus; nondum in Gallia publici privatique motus conquieverant. Eorum causas paulo altius repetere non erit alienum, ad intelligenda quæ Historiam nostram spectant. Franciscus II Galliæ Rex duxerat Mariam Stuartam, Scotiæ Reginam, ejusque avunculos Principes Guisios primariis regni muneribus et præfecturis ornaverat. Permolestum id accidit regiæ stirpis Principibus, qui se Guisiis posthabitos, et in publicæ rei administratione neglectos dolebant. Quare, ut Guisiorum potentiam infringerent, audiverunt non inviti Calvinianos, qui pecuniam illis et arma offerebant. Mortuo interim sine liberis Francisco II, regnum capessivit ejus frater Carolus IX admodum puer. Itaque regni administratio ejus Matri Catharinæ Mediceæ permissa. Hæc, odio Guisiorum aut metu, partes Principum Guisiis infensorum, et hæreticorum arma, fovit.

Inde catholicorum libera indignatio, et Galliæ perturbatio gravissima. Quæsitum remedium, in colloquio Pisciacensi, de quo narravimus ad annum MDLXI. Hæretici, qui non pacem, sed excidium catholicæ religionis volebant, bellum redintegrarunt, præcipuo duce Ludovico Principe Condæo. Magnis cladibus affectos ad Drocum, ad Jarnacum, ad Monconturium, denique Parisiis pene ad internecionem deletos, erexit obitus Caroli IX; cui succedens frater Henricus III, relicto Poloniæ solio, bellum initio in hæreticos decrevit. Mox ejus tædio, ad pacem decurrit, quæ non tantum perduellibus facultatem dabat hæreseos palam exercendæ, sed bonam Galliæ partem illis possidendam concedebat. Ea pax catholicos ira et pudore incendit. Fœdus pro tutanda religione inter se feriunt, auctoribus præsertim Guisiis, quos per causam et nomen conservandæ religionis regnum affectare suspicatus Rex interfici jussit anno MDLXXXVIII. Audita Guisiorum nece, populus furere, Lutetia Regem tamquam catholicis partibus infestum excludere. Hanc dum obsidere parat, cæsus est in vicino pago Cal. Sextilibus hujus anni MDLXXXIX. Henricum Borbonium, regii sanguinis Principem proximum, leges regni ad solium vocabant. Sed hæreticum horrebat Gallia, Lutetia mœnibus arcebat. Cum tamen voluntatem hæreseos deserendæ ostenderet, ejus partes magna pars nobilitatis amplexa est; altera, Duce Meduano, Guisiorum

fratre, pristinum fœdus tuebatur. In hac opinionum et armorum dissensione Patres mediam quasi viam sequi statuerant legibus Instituti nostri consentaneam, quæ nos ita jubent affectos esse ut *nec sit in nobis, nec sentiatur animorum propensio ad partem alterutram factionis, quæ esset fortassis inter Principes vel dominos Christianos : sed sit potius quidam universalis amor qui partes omnes, licet sibi invicem contrariæ sint, in Domino nostro amplectatur.* * Hanc viam, a religiosis omnibus viris terendam, cum insisterent Socii, præsertim Burdigalæ, in summum ab utraque parte periculum inciderunt. Odio fœderatis erant, quia languide ac segniter causam religionis defendere videbantur : nec minori laborabant invidia apud Burdegalenses, et alios qui regias partes sequebantur. Itaque cum illorum dicta omnia factaque in pejorem partem acciperentur, Burdegala discedere coacti sunt. Ex iis dum alii alia in oppida se recipiunt, quidam contulere se Augustam Ausciorum : quæ civitas in Vasconia, caput est Comitatus Armeniaci, et Archiepiscopi sedes. Læti cives digressos e Burdegala Socios acceperunt, iisque urbis suæ collegium communi consilio tradiderunt. Auscios æmulati Petrocovenses, viginti ex iisdem postulatos introduxerunt in collegii urbani possessionem. Quo etiam tempore Ludovica de Ancezuna, nobilis Matrona domum Probationis Avenione fundavit. Pia pariter ma-

* *Summarium Const. reg.* 43.

Burdegala Societas expellitur.

Collegium Auscense et Petrocoviæ.

Domus Prob. Avenione.

trona, et Algueriensis Ecclesiæ, in Sardinia, Decanus, pecuniæ summam fundando Alguerii collegio reliquerant, sed nondum ad opus inchoandum idoneam. Exspectatum fuit usque ad hunc annum, quo paulatim aucta suffecit. Ædificari quoque cœptum Calatanessetense, anno superiore concessum, fundatrice Ludovica Luna lectissima femina. Item Minæum in eadem Sicilia, fundatore Thoma Guerrerio. Duobus in provincia Neapolitana datum initium, Salernitano et Consentino, utraque civitate cum ipso Prorege, vehementer instante. Rigense in Livonia ut restitueretur urgebat Rex Poloniæ, catholicis flagitantibus : hæretici ne id statim fieret, pertinaciter obstiterunt. Georgius Popelius Lobkovizius, præpotens dynasta Bohemiæ, Societatem accivit Commotovium, quæ civitas duodecim milliaribus Praga distat, opportuno situ ad propagandam in multa et magna, quibus undique cingitur oppida, religionem et ab hæreseos servitute vindicandam. Ut Aquisgrano discederemus in causa fuit concionator noster, qui justo liberior in vitiis Cleri castigandis, suos et sociorum labores perdidit. Vox una imprudenter missa, instar scintillæ est, quæ in magnum sæpe incendium erumpit.

Collegium Algueriï,

Calatanessæ, Minæi,

Salernis, Consentii,

Commotovii.

Aquisgrano discediturus.

At Sigismundus de revocanda in Transsylvaniam suam Societate cogitans, scripsit ad Summum Pontificem, eique significavit ejectos * se invito ac reluctante, Patres, impiorum factione,

* *anno* 1588.

Restitui Societas in Transylvania incipit.

cui resistere in præsentia nequivisset. Hanc unam exilii illis irrogati causam fuisse, quod essent nimis probi et catholici. Quæ litteræ singulari numinis providentia Romam tunc delatæ sunt, cum fabricaretur a Societatis adversariis calumnia, longe aliam exilii nostri causam affirmans, Urbem infestis rumoribus implevisset. Rescripsit Sigismundo Sixtus V graviter monens ut omni conatu ad restituendam in integrum Societatem incumberet. Quod ille præstare sedulo aggressus est, conservandis primum domiciliis unde pulsi fueramus, ac vetando ne illorum possessio et fructus occuparentur a Calvinianis, aut in fiscum inferrentur : dein arcessendo e Moldavia P. Valentino Ladò, quem Catholici Sacerdotis obire munia palam Claudiopoli voluit. Postremo P. Alphonsum Cavillium a Præposito Generali Societatis postulavit, ut eo potissimum adjutore ad frangendos Arianorum impetus uteretur.

Rex Bungi desciscit a Fide;

Non erat eadem spes exulibus nostris in Japonia, Imperatore odium in Societatem et Christi legum professo, et dynastis aliquot Principis exemplum, ut fere fit, imitari studentibus.

et sævit in Christianos.

Quos inter sævire primus cœpit, quem minime omnium decebat, Rex Bungi, Christianus. Meacum ab Imperatore arcessitus sigillum idoli de collo suspendit, ac palam Christum ejuravit. Secuti sunt exemplum e Bungensi plebe nonnulli. Restiterunt acriter Regis soror et aliæ feminæ

Principes, Paulus præterea Scingandonus Regis cognatus, aliique multi quos Rex terroribus, et bonorum dignitatumque spoliatione frustra impellere conatus est ad cultum falsis numinibus adhibendum. Illis ipse sacrificabat quotidie, nova fundabat templa et cœnobia Bonziorum, dies illorum festos magno sumptu, pari splendore celebrabat. Levia tamen hæc ratus ad abolendum nomen Christianum, illud sanguine Christianorum delendum putavit. Erant in Christi cultoribus Joramus et Joachimus præcipua pietate nobiles. Hic patrum exulantium in Urbe Notsu vices qua fas erat supplebat, sacræ supellectilis et ædis custos. Evocatum in sylvam satellites a Rege missi trucidarunt. Joramus tam pius modo Christianus, quam ferox olim et fortis miles, eamdem fere ac Joachimus operam Patribus navabat, præsertim baptizandis infantibus. Non sunt ausi, qui virum fortem et militiæ peritum norant Sicarii coram aggredi, noctu domum irrumpunt magno sed silenti agmine. Procurrit ille obviam et inermis, Christi sigillum cum rosario suspensum e cervice gestans. Steterunt perculsi novo aspectu satellites, qui ad prælium comparati accesserant. Vos vero, inquit, accipio lætus, et gratiam habeo quod me diuturni voti, et necis oppetendæ pro Christo, compotem faciatis. Statimque in genua procidens, trepidantibus amputandum caput obtulit. Cadaver in crucem tolli Rex jussit ad spec-

taculum et ludibrium. Sed inde animus Christianis accrevit; nec parum ad eos confirmandos ponderis habuit reperta in diffissæ arboris trunco crux tam affabre facta, ut nequaquam elaborata mortali manu videretur. Morbi ejus contactu persanati, et alia miracula patrata ethnicos ipsos ita permoverunt, ut intra paucos menses undecim millia Arimæ; alibi ad novem millia baptizati fuerint.

Religio inter Afros et Americanos propagata.

Plus admirationis habet Congi Rex in Africa, qui miraculorum ope destitutus et Christum colebat, et ejus cultum propagare conabatur: itemque Americani complures quorum sex millia sexcentos in Tucumania brevi tempore Alphonsus Barzana per baptismi ostium introduxit in ovile Christi, ducentos vero supra quinquies mille sacri matrimonii vinculo, cujus nulla ibi ante notitia, conjunxit: alios innumerabiles ad Christum et mores dignos Evangelio traduxit. Erant Sulenses Indi, Tucumaniæ finitimi, gens nullius fidei, nullius humanitatis, quos adire, quibus committere se nemo unus audebat. Ausi tamen sunt Socii, mirantibus Hispanis, neque unquam redituros affirmantibus. Redierunt incolumes, lustratis fonte sacro duobus circiter millibus, reliquis ad baptismum et instituta Christiana comparatis. Diaguitæ, auditis quæ apud Sulenses contigerant, nostros ad sese invitarunt. Varai, Ciriguani, Gorgotoquenses, et Chanenses, acceptam divinam legem publica professione susceperunt.

Sinenses PP. Riccius et Almeida,

Sed illi tamen inculti, barbari, vix homines appellandi sunt præ Sinensibus, doctrina perpolitis, humanitate præstantibus, ingenio et bonarum artium cognitione nulli nationi secundis. Verum ob eas ipsas dotes negotii plus in illis expugnandis fuit. Bellissime stabant in urbe Sciauquino Patres Riccius, et Almeida. Jam indigenas cognoscere, jam ab iis cognosci et amari cœperant. Tabulæ geographicæ, machinæ, et artes Europeæ, mathematica supellex, et supellectili respondens eruditio curiosam doctamque gentem alliciebant. Fuerat Sinensibus typis editus de doctrina Christiana liber. Eum qui legerant litterati, concurrebant ad disputandum. Committebatur certamen in splendido procerum doctorumque consessu; et Patribus feliciter quæcumque objiciebantur solventibus, nova lux audientibus juxta et certantibus affulgebat. Quotidie divina lex in templo ad ingentem concionem explicabatur, et catechumeni complures solemni ritu ad Christum aggregabantur; favente novis doctoribus Prorege, ædemque sacram et Bibliothecam Patrum cum primariis civibus frequentante. Sic enim comparatum est, maxime apud Sinas ut quo Principes inclinant, eo populus sequatur. Quam parum tamen opis ac præsidii ponendum sit in humani ejusmodi præsidiis, eventu cognitum est. Huic Proregi, quo niti Societas et stare videbatur, mortuo per eos dies, datus est successor longe dissimilis,

BIBLIOTHECA PATRUM S. I., SAN JOSÉ

gloriæ avidissimus, nec minus pecuniæ. Ut sui magistratus primordia nota posteris aliquo insigni monumento relinqueret, lapideam molem, seu turrim prælatam excitare decrevit; cujusmodi complures in Sina cernuntur, non solum ad ornamentum urbium, sed etiam ad felicitatem ubertatemque regionis, ut sibi falsa superstitione persuadent. In iis molibus leguntur incisa nomina magistratuum, quibus publicam rem gerentibus extructæ sunt, cum ambitiosis titulis quos adulatio composuit. Incessit novum Proregem cupiditas erigendæ similis alicujus turris. Quærenti locum idoneum nullus aptior est visus illo, quem Societatis domus occupabat. Hanc evertendam, sacerdotibus Europæis ejectis, suscepit. Satis erat causæ et criminis quod peregrini, quod nullo regio diplomate in imperium essent admissi. Meminerat etiam quæ illis pridem objecta fuerant, clandestina celebrari ab iis conventicula, plebem insidioso religionis nomine circumveniri, arcana demum Imperii Lusitanis Amacaensibus aperiri. Nihil moratus, magistratui apud quem peregrinorum causæ et jura disceptantur, negotium dat ut Europæos doc-

Sciauquino pulsi,

tores quamprimum Sciauquino pulsos Macaum remittat. Patrum amici auctores illis erant, ut cederent parumper tempori; non futurum difficile cum functus præfectura Prorex successorem accepisset, illos Sciauquinum revocare. At Riccius

non putavit committendam incertæ spei rem tantam, neque deserendam sine certamine domum tot impensis, tanto labore quæsitam. Et eam videbatur apud proceres et litteratos adeptus gratiam, ut obniti saltem aliquamdiu Proregi, et impetrare aliquid ab eo posset. Igitur collectis propere amicorum litteris et suffragationibus sane luculentis, Proregi significat se Proregis prioris permissu, et auctoritate publica domum posuisse in solo legitime comparato; nihil admissum criminis, nihil damni datum, cur ejiciendus turpiter videretur; proferebat amplissima virorum gravissimorum testimonia; denique ostendebat in confectis rite tabulis sexcentos aureos in ædificationem expensos; illos reddi sibi, si Macaum remitteretur, postulabat. Percussit auri restituendi mentio avarum Proregem. Nummorum aliquantulum Riccio mittit. Negat ille se discessurum, nisi tota restituatur summa, aut nisi certe alia quæpiam civitas ubi cum suis maneat, assignetur. Hanc postremam conditionem lætus audivit Prorex, ne pecuniam redhibere cogeretur. Per me, inquit, licet vobis eligere urbem aliquam provinciæ Quantoniæ cui præsum, excepto nihilominus Quancheo, provinciæ capite, et Sciauquino Proregis sede. Habetis urbem Nanhium, et finitimam illi Xauceam. Eligite, vestra est optio. Aderat forte magistratus quidam Xauccanæ civitatis, ad eum Prorex conversus : Istos, ait, si tuam in urbem

Xauceam demigrant.

venerint, fac omni officio prosequaris, quippe homines singulari probitate ac doctrina præditos. Grates agere maximas Patres, et relicto Sciauquino, Xauceam discesserunt, ornati diplomate perhonorifico, navibus etiam et commeatu prolixe instructi. Antequam discederent, oppidanos Christo partos idoneis monitis confirmarunt in Fide, ordinem vivendi præscripserant, præposito ceteris viro peritiore, qui parvulos baptizaret, cunctos ad fundendas simul preces congregaret, ad Patres denique referret, si quid oriretur dubii et controversiæ, si quid egeret remedii. Est civitas Xaucea (Sinæ Xaocheu pronuntiant) dignitate, post metropolim provinciæ Quantoniæ, secunda : sita inter duos amnes piscosos, patientes navium et commercio celebres, in agro feraci et opimo. Atque hæc secunda fuit Societatis in imperio Sinensi sedes, dum in Japonia de omnibus domiciliis in perpetuum amittendis certum periculum imminebat.

Annus Christi 1590 : Societatis 51.

Valignanus in Japoniam redit cum regiis legatis.

P. Alexander Valignanus Provinciæ Societatis Indicæ præpositus, cum funestam rerum in Japonia mutationem, et exilium Patribus irrogatum audivisset, vehementer obstupuit. Ut erat tamen ad subitos casus longo usu paratissimus, idemque ad remedia quærenda promptissimus, furentem Japoniæ Imperatorem placari posse cre-

didit, si Prorex Indiæ Eduardus Menesius ad eum Legationem ornatissimam mitteret, honoris et amicitiæ causa, rogans ut Lusitanos solita fovere benevolentia pergeret. Accidit feliciter ut legati Japonii ad Pontificem Romanum ante sex annos missi, et in patriam redeuntes adessent Goæ, vela propediem in Japoniam facturi. Plurima et maxima munera, quæ ab Europæ Principibus acceperant libentissime contulerunt ad ornandam legationem et Imperatorem conciliandum. Nemo dubitabat quin gratissima foret superbo Principi legatio, qui profecto amplum sibi duceret coli ab Indiæ Prorege, ac suam a Lusitanis amicitiam expeti. Solvit Goa Valignanus cum juvenibus regiis, et duodecimo Cal. Sextiles Nangazachium appulit. Vix ibi dies paucos substiterat, cum vetatur ulterius progredi, et omnis illi aditus ad aulam, et regiam urbem interdicitur. Persenserat Valignani consilium Imperator, idque tentari videbat ut per causam et nomen Indicæ legationis, restitutio Patrum ab Indiæ Prorege quæreretur. Quin etiam Bonzii, aliique religionis hostes conabantur ipsi persuadere commentitiam esse legationem, et ad fucum Imperatori faciendum inventam. Contra pugnabant Christiani proceres, et nihil in legatione fictum, nihil subdolum esse contendebant, nec nihil esse periculi si repudiaretur. Per istas altercationes effluxit quod reliquum erat anni.

Sixtus V urget examen Instituti:

Dum in Oriente Valignanus rem Christianam exitio prohibere nititur, non levior in Occidente Aquavivam pro Societate universa metus exercuit. Notaverat Sixtus V ut anno superiore diximus, nonnulla quæ sibi minus placebant in Societatis Instituto; et Cardinali Carafæ examinanda tradiderat. Arcessit: rogat ecquid censeat? Benigne respondet Cardinalis, qui moras consulto traxerat, futurum sperans ut Pontifex placatus causam hanc lenius agitaret, aut penitus etiam omitteret. Moram graviter tulit Sixtus. Quatuor Theologos designat, qui singula quamprimum atque diligenter explorent. Censuram illi duriorem ediderunt, eorumque in sententiam Pontifex inclinabat, cum improvida vox Hispani concionatoris illum vehementius inflammavit; P. Joannes Hieronymus, dum calamitates temporum deplorat, voces quasdam per imprudentiam, et æstum orationis effuderat, quibus notari Sixtus, et Gregorio Magno dissimilis dici videbatur. Eas Nuntius Apostolicus cum rumoribus, et malevolorum sinistra interpretatione, Romam perscripsit. Pontifex, quamvis rem longo aliter atque perscripta fuerat gestam esse cognovisset ex Claudio Aquaviva, qui concionem ipsam, et gravissima testimonia in Urbem deferenda curaverat, nihilominus Romam acciri concionatorem imperat, pœnas nempe graves daturum. P. Barth. Blondum ob nescio quam suspicionem, in carcerem duci: librum P. Roberti

Bellarmini de Romano Pontifice in librorum prohibitorum Indicem referri jubet : denique ad mutanda quæ sibi displicebant in Societatis Instituto, se accingit. Ac primo quidem abjici voluit Societatis Jesu nomen. Superbum aiebat esse vocabulum, et ceteris ordinibus religiosis, imo universis fidelibus atque adeo ipsi Christo injuriosum. Frustra supplicabant Patres ut ne gravaretur considerare quibus de causis appellationem hanc S. Ignatius adamasset: illam a summis Pontificibus Paulo III, Julio III, illam ab OEcumenico Concilio Societati datam et confirmatam. Nemini superbum videri militem qui sui ducis usurpet nomen, eo tanquam stimulo ad rem fortiter gerendam, excitandus; neque Regi gravem ac molestam esse, si nomen suum in urbium portis, in vexillis cohortium, in foro et plateis exstare ac celebrari videat. Quam multæ sodalitates nobilissimæ Christi, Sancti Spiritus, Sanctissimæ Trinitatis nomine, sine cujusquam invidia gloriantur? Hæc aliaque id genus, nihil apud Sixtum profuerunt, quin juberet litteras a Præposito Generali conscribi ad provinciarum præsides, ut in posterum ab hac appellatione nostri omnes abstinerent. Composuit litteras Aquaviva, et Pontifici obtulit, qui eas in scrinium abdidit. Mox curis gravioribus, ac morte paulo post oppressus * rem integram ac litem reliquit successoribus suis Urbano VII et Gregorio XIV, quorum

* *VI Calend. Septembris.*

ille, propter brevitatem Pontificatus, non habuit spatium quidquam statuendi; hic Societatis nomen et Institutum nova Constitutione confirma-
*anno 1591. vit. * P. Bartholomaeus Blondus vivo adhuc Sixto Pontifice e custodia emissus. Sixto mortuo Bellarmini liber expunctus est ex Indice; et Pater Joannes Hieronymus, in Hispania sua mansit, nondum enim in viam se dederat, ac sedulo monitus est ut ne deinceps tam inconsiderate ac periculose loqueretur.

Turbarum in Hispania auctores et causæ.

Alia sors fuit P. Joannis Baptistæ Carilli in eadem Hispania. Qui cum ad sacros Quæsitores tamquam a Societate vexatus, profugisset, ab iis in fidem et clientelam prius est acceptus quam cognoscerent, quid hominis esset; sero demum animadversa levissimi perturbatoris improbitate, permiserunt ejus causam Societati, a qua pulsus, et instar putridi membri recisus in perpetuum fuit. Per eam occasionem investigatæ, ac deprehensæ sunt causæ turbarum quæ nostris in Hispania molestiæ tantum ac formidinis afferebant. Compertum fuit, eas nasci omnes ex paucorum ambitione, ex impatientia disciplinæ, ex licentiæ commodorumque cupidine : tum etiam quod facilior aditus ad regem et sacros quæsitores perturbatoribus pateret, qui eorum freti patrocinio, et spe impunitatis erecti, quidvis audere se ac moliri posse confidebant. His malis dum præsens remedium quæritur, existimavit Pater

Josephus Acosta, quem in Hispaniam ad istos motus sedandos, et regem conciliandum Aquaviva miserat, nullum certius ac præsentius remedium afferri posse, quam si Congregatio Generalis cogeretur. Præpositus Generalis eam non necessariam, et, ut erant tempora, incommodam Societati, damnosamque judicabat. Idem censebat singulis in Provinciis prudentissimus, et antiquissimus quisque, paucis exceptis quorum rationes expenduntur ac refelluntur, in Parte V Historiæ nostræ*. Vicit nihilominus Acosta cum suis, idque faciendum regi persuasit. Interim Sixtus V antequam supremum diem obiret, de pacanda Gallia sollicitus, quam hæresis Calviniana in summum discrimen adduxerat, legatum Pontificium Parisios misit, Cardinalem Henricum Cajetanum, eique P. Robertum Bellarminum quo theologo uteretur adjunxit.

* *Lib. X. n.° 56 etc.*

In Galliam Bellarminus cum Legato missus.

Dum religio in Gallia, Societas in Hispania intestinis laborant motibus, datum est initium collegio Bruntrutano, postulantibus Octavio Paravicino, Apostolico ad Helvetios Nuntio, et Joanne Christophoro, Basiliensi Autistiti. Restitutum vero collegium Oropesanum, octavo ante anno sublatum, propter additas a Francisco Toletano fundatore conditiones quasdam cum Instituto nostro pugnantes: quibus sublatis repetiti sunt scholarum labores. In provincia Neapolitana Salernum et Cosentiam inducti litterarum professores. Angolana

Collegium Bruntruti,

Oropesæ, etc.

messis fructus uberrimos extulit. Aforum sacro lustratorum fonte numerus mille quingentos explevit, præter alios plurimos in catechumenorum ordine relictos. Goæ duobus baptismis solemnibus, Indi amplius mille Christo renati sunt : in Salsettis tria millia octingenti et sexaginta. Pagus ingens, Cincinus nomine, consensu communi et publico indigenarum decreto Christiana suscepit sacra, exilio recusantibus indicto.

Annus Christi 1591 : Societatis 52.

Greg. XIV Institutum novo diplomate confirmat.

Præpositus Generalis Societatis comprimere penitus atque exstirpare meditans domesticos tumultus, qui Societatem sub Sixto V concusserant, egit cum Gregorio XIV, Sixti successore, ut Societatis Institutum nova Constitutione stabiliret. Edita est quarto Cal. Julias, et ab his verbis incipit : *Ecclesiæ catholicæ, cui, Deo auctore, præsumus,* etc. Ea Constitutione Pontifex rata jubet esse, quæcumque a Paulo III, Julio III et Gregorio XIII fuerant sancita et approbata de Instituto Societatis; idque potissimum, ut gubernandi potestas penes Præpositum Generalem tota sit, a quo in reliquos Præpositos et Rectores, tamquam a capite in membra, derivetur, rejectis cœtibus privatis, sive Capitulis, in quibus singuli dicendæ sententiæ et ferendi suffragii jus habent : ut in aliis religiosorum Ordinum familiis usuvenit. Hoc diploma Pontificium in Hispaniam perlatum,

novam querelarum materiam perturbatoribus obtulit. Aiebant procuratum illud ab Aquaviva fuisse, ut Sacris Quæsitoribus molestiam exhiberet, illosque omni suam in ordinem jure ac potestate spoliaret. Gironus Garcias Loaysa, vir doctissimus ac sapientissimus, qui Principis adolescentis pueritiam in aula formabat, Gregorii Constitutionem explicuit et laudavit Regi, cujus dein jussu audivit examinavitque P. Hieronymum Acosta, præcipuum inter istos perturbatores. Ille contendebat Societatem rectius administratam iri, demptis quibusdam, aut immutatis, et aliter atque a S. Ignatio statuta primum erant, compositis. Ego vero, subjecit Loaysa, pro certo habeo Deum Ignatio non minus adfuisse in condenda Societate, quam Divis Francisco et Dominico in suis Ordinibus prudentissime ac sanctissime constituendis. Alia in hanc sententiam addidit, quibus hominis temeritatem, ut par erat, coarguit. Pari sapientia et auctoritate P. Joannem Baptistam Carillium alterum novitatis patronum compescuit, qui ad sacros Quæsitores confugerat, apud eos Societatem ejusque Moderatores accusans, verum ab iis destitutus, ac demum e Societate pulsus est, itidem ut Ludovicus Carvallius, et Gaspar Coellius, quos cum Cardinalis Albertus Austriacus, Lusitaniæ gubernandæ a Philippo præpositus, aliquandiu tolerasset, postea diligentius inspectos, cognitosque, repudiavit.

Obitus Gregorii XIV et Innoc. IX.

Gregorio XIV post decimum initi Pontificatus mensem exstincto subrogatus Innocentius IX, non levia suæ erga Societatem voluntatis dare pignora cœperat, cum illum immatura mors altero, quam creatus fuerat, mense sustulit. Luctuosus duorum Pontificum occasu annus, fame, ac lue funestus etiam Italiæ fuit. Enituit in calamitate publica charitas ac diligentia Societatis, Romæ: præter cibaria distribui promiscue adventantibus solita; trecenti in collegio, totidem in domo probationis alebantur. Famem ut assolet, excepit quædam lues. Ea contactos conquiri jussit Præpositus Generalis, et Romanam domum miserorum lectulis implevit. Reliquis vero accipiendis curavit extruendum in urbe nosocomium. In obeundis ejusmodi charitatis officiis nonnulli e Sociis jacturam valetudinis et vitæ fecerunt. In iis insignem obtinere locum jure debet B. Aloysius Gonzaga, qui dum ægrotantibus totum se impendit in nosocomio cui Roma nomen a consolatione fecit, non procul ædibus Professorum ad radices Clivi Capitolini, contraxit letalem morbum, quo decessit undecimo Cal. Quintiles. Operam theologiæ dabat in Collegio Romano, ubi cumulum pergebat imponere virtutibus eximiis quas in sæculo colere cœperat. Beatissimæ Virginis monitu Societatem ingressus anno ætatis decimo sexto, vixit in eadem annis quinque, et mensibus septem. Eluxit in eo præter ceteras virtutes singularis rerum humanarum et honoris profani con-

Fames et lues Romæ;

S. Aloysii Gonz. mors;

virtutes etc.

temptus, sanctum sui ipsius odium, et intima cum Deo familiarisque conjunctio. Virginitatem voto obligatam consecraverat numini, annos natus novem : eamque servavit illibatam ad supremum usque diem, ac simul integritatem animi nulla graviore noxa inquinatam, ut sancte affirmavit Cardinalis Robertus Bellarminus, qui totius vitæ labes paulo ante obitum confitentem audiverat. Societatem nostram ea præsertim de causa erat amplexus, ut in illa delitescens natalium splendorem religiosis tenebris obscuraret. Deus humilitatem servi sui visus est compensare voluisse publica statim ab ejus morte sanctitatis eximiæ fama, tum illustribus ac pene quotidianis miraculis, quibus permotus Paulus V, anno MDCV, ratum esse jussit Beati titulum, qui pridem illi ab universa Europa tribuebatur. Eumdem Cardinales, examinandæ illius vitæ, virtutibus ac miraculis a Sede Apostolica præpositi, dignissimum esse judicarunt, cujus nomen in Sanctorum albo scriberetur. Exstat in vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis insigne testimonium de juvenis Angelici (sic enim illum appellat Romana Rota) virtute, ac singulari apud Superos gloria. Hunc Mantua Protectorem adoptavit : Societas vero nostra, tamquam exemplar suæ juventuti religiosæ divinitus datum agnoscit. Sacros cineres Collegium Romanum in ornatissimo sacello conditos servat.

Mœrorem nostrum de B. Aloysii morte, et aliorum aliquot illustrium hominum Societatis quos morbus idem popularis abstulerat, vehementer auxit accepta denuo clades in Transsylvania. Inde jam exulabat a triennio Societas, quam revocare cogitans Sigismundus Bathorius, Transsylvaniæ Princeps, Romani Pontificis ac multorum Principum litteris excitatus, videnque turbulentas variarum hæresum factiones magis magisque valescere, conciliare studuit animos procerum, etiam hæreticorum qui plurimum obesse poterant Societati restituendæ. Postquam illorum odia utcumque mitigata, et animos ad concordiam inclinare sensit, comitia totius Transsylvaniæ in Calendas Octobres edixit, nihil dubitans quin e sententia negotium conficeretur, utque plus auctoritatis decreto comitiorum accederet, iis interesse voluit patruelem suum Cardinalem Andream Bathorium, qui tunc apud Regem Poloniæ versabatur. Erat Cardinalis certas ob causas, Societati dudum infensus, ac recenti quadam, ut suspicabatur, injuria irritatus. Oblatam credidit occasionem ulciscendo doloris sui : Properat in Transsylvaniam ; studia procerum Societati propitia restinguit ; accendit hæreticorum in illam odia, eo denique rem perducit, ut obnitente nequidquam Sigismundo, suffragiorum pars major Societati adversata fuerit, et irrogatum illi anno MDLXXXVIII exilium novo decreto confirmatum sit.

Exilium Societatis e Transylvania confirmatum.

Aliquot Collegiorum varia sors.

Nonnihil pariter cladis et infortunii quibusdam in locis acceptum est. Cum floreret apud Venetos Collegium Patavinum, Professores aliqui urbanæ Academiæ existimarunt, officere suis luminibus et commodis collegii nostri frequentiam. Causa diu multumque agitata; denique perfecerunt, ut docendi facultas Patribus eriperetur : et scholæ Societatis aliquandiu in hac urbe clarissima siluerunt. Vastatum est Commotoviense in Bohemia Collegium, seditione populari facibus hæreticis accensa. Statio quam adhuc retinuerat Societas Holmiæ in Suecia, penitus eversa est. Ejusmodi clades consolatus est variorum collegiorum ortus; Mutinensis et Montis S.ti in Longobardia; Varalliensis in Hungaria, quod octo post annis translatum est Selliam, Aginnensis in Aquitania; Turiasonensis, in Aragonia; Ubetensis in Bætica; Casorlensis in Vandalitia; Leopolitani in Russia Rubra; item in insula S. Michaëlis, quæ Azorum est maxima. Conditum Anglorum Seminarium Hispali; restitutum in Livonia Collegium Rigense; apertum Valencenense in Belgio; itemque Groninganum, sed quadriennio post, hæreticis Groningam invadentibus, excisum.

Doctrina Baii apud Belgas,

* *Parte V. lib. XIV. n.° 44 et seq.*

Nihilo segnius sanam doctrinam tutari studuit Societas in Belgio, præsertim contra Baii fautores ac discipulos * Duaci Litterariam litem magnis animis utrimque agitatam Nuntius Apostolicus Societati ac veritati adjudicavit.

In Gallia Calvinistæ oppugnantur.

In Gallia non litteris tantum et calamo, sed gladiis et in acie, religionis causa disceptabatur. Ad eam contra Calvini furores propugnandam Catholicorum pars melior, (nam de principum ducumque consiliis judicare nec nostrum, nec tutum est) fœdus inierat, quam *Liguam* vocare Historici Galli solent, et opem Romani Pontificis, ut summi sacrorum tutoris, imploraverat. Gregorius XIV submissis in Galliam copiis nonnullos e Sociis addidit, ut religiosam militibus navarent operam : quod impigre dum præstant, oborta in castris lue, quidam sunt exstincti. Eamdem operam nostri Lusitanis navarunt in insula Ceylano, cujus rex Christianis infensus feliciter est debellatus. Item in Brasilia, cum barbari oppidum Piratiningam obsidione cinxissent. Tolerata fortiter est obsidio : magnam hostium stragem ediderunt erumpentes ex urbe Lusitani, quibus collegii Patres præibant armati Crucifixi signo.

Opera in Castris posita etc.

Debellata similiter in variis Indiæ locis impietas et superstitio. Ethnici amplius septingenti solemni ritu et pompa Goæ baptizati. Apertus per duos e Societate Sacerdotes Evangelio aditus est, sæpe antea tentatus in Cinalvam, regni Mexicani partem occiduam, extremæ Baliferniæ oppositam. Paucis diebus per baptismum acquisita Christo amplius duo millia fuerunt. Templa in oppidis, Cruces in compitis et collibus erectæ.

P. Valignanus ab Imperatore Japoniæ legatus excipitur.

Majoris erat molis Societatem in Japonia retinere. Adornata fuerat legatio Proregis Indiæ ad Imperatorem Japoniæ, qui cunctatus aliquamdiu admittere P. Alexandrum Valignanum legationis principem, oratus demum a proceribus Christianis, ac ne quid cum Indiæ Prorege suscipieret negotii metuens, diem publicæ illius admissioni destinavit quintum Nonas Martias. Præibant velut primo in agmine munera Imperatori offerenda, splendidis imposita ferculis. Sequebantur quatuor Japonii Principes, ex Europa reduces, induti vestibus arte præcipua laboratis, quas a Gregorio XIII acceperant, et quibus novum addebant decus oris habitus ad modestiam et pietatem compositus, et nobili Japonum ferocitate temperatus. P. Valignanus patente vehebatur lectica; tum duo ejus comites e Societate, in sellis et ipsi, sed humilioribus et aliquanto minus ornatis. Post hos equitabat numerosa Lusitanorum cohors, armis et vestibus egregie culta. Hunc in modum progressi per confertam multitudinem deducuntur in aulam regiæ amplissimam, ubi legatum opperiebatur Imperator gemmis totus collucens et auro; cinctusque fulgenti Regum, Principum et Bonziorum corona. Valignanus Imperatorem Japonico more veneratus, profert ex arcula eleganti litteras Proregis Indiæ Attalico panno involutas. Auditæ sunt summo silentio. Laudabat Prorex Imperatorem, ejusque res præclare gestas sibi

e Societatis Patribus, ut aiebat, cognitas. Gratias agebat pro collatis in eos et reliquos Lusitanos, atque adeo in Christianos omnes beneficiis, quibus ut favere pergeret, enixe rogabat. Postremo enumeratis quæ offerebat ipsi muneribus, in vota pro ejusdem incolumitate desinebat. Respondit benigne Imperator. De Lusitanis et PP. Societatis subjecit pauca, de religione et Christianis omnino siluit. Mox varia proferri jussit munera, quorum partem ferendam Proregi, partem Valignano et Lusitanis habendam dedit, cunctos demum epulis opipare instructis accepit. Sub epulas Japonios juvenes legatione ad Romanum Pontificem ipsis imposita feliciter functos, in suam familiam invitavit. Illi meliorem eligere dominum, et in familiam Christi ac Societatem, id quod Romæ flagitaverant ab Aquaviva, cooptati sunt a P. Valignano.

Rex Bungi ad Fidem revertitur.

Unus ex iis Mancius Itus patruelis erat Constantini, Regis Bungi, cujus patrem Ecclesia Japonica inter suos heroas olim numeraverat. Filius degener gratiam Imperatoris male captans non modo Fidem in Baptismo susceptam ejuraverat, verum et cultores ejus crudelissime divexabat. Hunc ut aspexit Mancius, perfidiam impio et crudelitatem exprobravit : ac libera oratione victum adduxit ad Valignanum, a quo, post data non levia pœnitentiæ documenta, piorum cœtui, summa omnium gratulatione restitutus est.

Annus Christi 1592 : Societatis 53.

Annus MDXCII novum Ecclesiæ rectorem dedit Clementem hujus appellationis octavum : qui subeuntem ad gratulandum pro more Præpositum Generalem oratione plena benevolentiæ allocutus, eidem præcepit ut Congregationem Generalem indiceret habendam anno sequenti. Hoc a Pontifice postulaverat, suadente potissimum P. Josepho Acosta, Rex Catholicus. Dissentiebat vehementer Aquaviva, non immerito timens ne quid in ea Congregatione dissidii ac damni a domesticis perturbatoribus Societatis oriretur : et Regem ab illius flagitandæ consilio abducere opera P. Alphonsi Sancii conatus erat. Sancius Regem obfirmatum in sententia reperit, cujus nomine ac jussu Romam profectus est ex Hispania P. Josephus Acosta ut negotium Congregationis Generalis urgeret. Illi habendæ dictus est dies tertius nonas Novembris anni MDXCIII. Clemens VIII Cong. generalem indicendam jubet

Romam pariter veniens e Belgio Joannes Smetius Sacerdos Batavus, cum exposuisset Pontifici luctuosam catholicorum inter Batavos conditionem, et ad suppetias ferendas idoneam esse Societatem Jesu Belgicam indicasset, Clemens cum Aquaviva egit de mittendis aliquot hominibus Societatis, qui Religionem inter Belgas fœderatos laborantem tuerentur. Duos initio, tamquam ad sternendum aliis iter mitti placuit, Guillelmum Initium Batavicæ Missionis,

Leonium Dordracenum, et Cornelium Duystium Delfensem. Portus omnes acerrimis cingebantur excubiis; de suspectis sacerdotibus durissima quæstio habebatur; agniti et deprehensi capite, aut æternis vinculis tenebrisque damnabantur. Erant Patribus ante oculos hæc pericula; major periculis animus, et charitas alienæ salutis sitiens fuit. Mutatæ vestis, et patrii sermonis beneficio eluserunt vigilum diligentiam, et statim per varias urbes effusi dederunt initium Missioni Batavicæ, quæ sine cujusquam offensione aut querela magnos afferre fructus pergit.

et Bosniensis. Non erat in Bosnia, Servia, Sclavonia, et Bulgaria levior, quam in Belgio, calamitas catholicorum. Hanc Simon Joannes Taxicchus, Sacerdos Bosniensis, cum propius intueretur, ad pastorem Ecclesiæ Romam accesserat, opem laboranti patriæ petiturus, quæ ab hæreticis, Turcis, et schismaticis velut obsessa tenebatur. Pontifex, his auditis Taxicchum ad Præpositum Societatis remisit. Aquaviva dedit operam ut idem Simon rediret in patriam cum quatuor e Societate Sacerdotibus, qui multis in locis jacentem pietatem erexerunt, scholas catholicas passim instituerunt, ac plerasque in iis ipsis ubi Turcæ rerum potiebantur oppidis. In primis curæ fuit ut initiarentur Sacris Ordinibus Sacerdotes. Nulli enim aut pauci admodum fuerant ab annis admodum triginta consecrati.

Per idem tempus variis in locis expeditiones Evangelicæ sunt susceptæ. Duplex e Collegio Camenecensi turma sacrorum militum profecta est : una in Valachiam, in Ukraniam altera. Miserabilis erat Valachorum inscitia, maxime Sacerdotum. Satis superque censebantur eruditi, si Sacerdotales preces inoffensa voce recitare possent. Princeps, quem Vaivodam appellant, Patres excepit perhumaniter, seque cum populo docendum ultro dedit. Ukrania Pontum Euxinum versus porrigitur : ager magnam partem incultus, Cosacorum et Tartarorum metu ; animi etiam agris incultiores. Sterile ceteroquin solum majores opinione fructus edidit. Alia de parte procursum est in Esthoniam, Livoniæ partem amplam. Gentis cæcitas vix credibilis. Baptismi Sacramentum eo pertinere dumtaxat existimabant, ut puero nomen imponeretur. Inferebant sepulcris alimenta, quibus animæ vescerentur ; et instrumenta ejus artis quam quisque in vita exercuerat, ut haberet post obitum, quod ageret, et unde victitaret. Tam tristis ignorantiæ nox et superstitionis depelli hactenus a nostris non potuerat ob linguæ Esthonicæ difficultatem : sed eam instante graviter Aquaviva, superare quidam e Sociis aggressi modo erant. Hommona superioris Hungariæ ad montem Carpatem oppidum est. Hujus dominus, comes Georgius Dughetus, vocatis Patribus, lolium doctrinæ deterioris evellere studuit. Septingenti ab hæreticorum partibus

Excursio in Valachiam,

Ukraniam,

Esthoniam,

in oppidum Hommonæ,

ad catholicos transierunt; permulti a Ruthenico Schismate abducti; juventus Calvinianis Magistris erepta, et ad veram pietatem litterasque informata. Ingens etiam operæ pretium exstitit in urbe Alsolindua, ad quam acciti Societatis aliquot theologi mores catholicorum, quotidiana cum hæreticis consuetudine depravatos, emendarunt. Pagi quadraginta docendo peragrati. Longius evagati sunt alii in Ægei maris insulas, alii in Africæ littora. Numeratur Chios in majoribus Ægei maris insusulis. Ad hanc profectus jussu et auctoritate Summi Pontificis P. Vincentius Castaneola indidem oriundus, dena circiter catholicorum millia reperit in primaria urbe omni fere auxilio destituta. Quo impensius totum se illis excolendis dedit. Nihil deinde omissum est a Præposito Generali Societatis quod ad Missionem hanc instruendam et ornandam utile judicaret. At PP. Josephus Quadrius et Petrus Angelus in Africam ex Hispania navigarunt ad oppidum oræ maritimæ regni Ferzani, Melillam vulgo dictum, et Mauris ereptum a Ferdinando Rege Catholico. Confirmata in hoc oppido pietas Christianorum, revicta Maurorum impietas, et nonnullis erepta.

Alsolinduæ,

ad Ægeum mare,

in Africam;

Est Neapoli sodalitas Nobilium in Professorum domo variis misericordiæ Christianæ operibus, tum vero captivis Mahometana servitute liberandis dedita. Ubi conflata est idonea pecuniæ summa, certos allegant in oræ Africanæ urbes, qui de

Sodalitas Neapolitana liberandis captivis instituta.

miserorum redemptione paciscantur. Ad id muneris hoc anno delectus fuit P. Julius Mancinellus cum aliquot Sociis. Non paucos, qui a Fide catholica desciverant, ad eam revocarunt; aliorum constantiam præsidio sacramentorum muniverunt; omnes ad æternam libertatem dura, sed brevi servitute promerendam cohortati sunt. Sexaginta ex omni numero solutis catenis, Neapolim devecti, et per urbem circumducti pulcherrimum spectaculum præbuerunt: cum paulo ante Turcici nominis septem a Patribus instituti solemne Christo sacramentum in templo Professorum dixissent.

P. Thomæ Mettami carceres et ærumnæ;

Lentius in Anglia procedebat Catholica res inter minas suppliciorum, tortorum crudelitatem, et angustias ergastulorum, quibus denique consumptus est P. Thomas Mettamus. Deseruerat Angliam, et claram genere opibusque domum, ne Fidem catholicam desereret. Redire tamen ad suos cogitans ut opem carissimæ patriæ afferret, litteris animum sacris et profanis penitus imbuit, auctusque Sacerdotio renavigavit in Angliam sub annum MDLXXV. Deprehensus in aditu ipso, et in Londinensem turrim conjectus, ibi jacuit fere quadriennium, sed cum mephiti et pædore carceris contabesceret, abductus inde fuit in varias custodias Londinenses, non ut mitius viveret, sed ut diutius moreretur. Jamdudum aggregari cupiebat ad Societatem, et facultatem nactus scribendi ad Præ-

positum Generalem, ab eo admissus est anno MDLXXIX. Continuo se germanum Societatis alumnum præbuit. Ex ipsis vinculis verba faciebat ad eos qui recentes in eamdem secum custodiam detrudebantur : alios ad virtutem, alios ad veritatem perducebat : hæresis etiam ministrorum, si qui accederent, inscitiam coarguebat. His permoti defensores erroris amovent generosum veritatis patronum in vetus ac ruinosum castellum, ob cœli gravitatem desertum, in vasto et palustri solo, inter Comitatus Norfolciensem et Lincolniensem, Visbicum loco nomen est. Ibi frigore, æstu, fame, tenebris, et uliginoso squalore consumptus, post toleratas decem et octo annis gravissimas ærumnas in libertatem sempiternam feliciter excessit. Comprehensus pariter hoc eodem anno, et in vincula datus est P. Robertus Southwellus, quibus eum triennio post gloriosa in patibulo mors liberavit. De quo cum paulo plura dicenda sint, præstat illa in annum MDXCV, quo mortem obiit, reservare. Novum inter hæc afflictis in Hibernia catholicis præsidium Philippi Regis Catholici pietas comparavit. Posito Salmanticæ Hibernorum Seminario.

item P. Rob. Southwelli

Res Japonicæ

Japoniam experta Societas est Anglia mitiorem. Imperator Cambucundonus, qui postea Taicosamæ nomen sumpsit, sibi a Christianis metuens, quorum augeri numerum in dies videbat, eos in Sinas longe aut Philippinas transportare

cum ipsorum ductoribus decrevit. Nec superbum Principem non stimulabat imperii latius proferendi cupiditas, et Japoniæ priscos heroas, quos in Deorum numero coli videbat, superandi. Causas igitur belli Sinis inferendi comminiscitur, et quia per Coream peninsulam transeundum erat, transitum a Rege Coreæ armatis precibus petit. Neganti bellum indicit : quod cum parum prospere gereretur; contentus illi leve tributum imposuisse, animum et arma vertit ad Philippinas, quasi ad victoriam et prædam faciliorem. Litteras minaces et imperiosos ad earum Gubernatorem scribit. Rescripsit benigne Gubernator, ac breve spatium rogavit, dum sui Regis assensum impetraret : moram scilicet captans ut res bello necessarias compararet. Moram pertæsus Imperator, cui adulatores persuaserant Gubernatorem, Japonicæ potentiæ terrore perculsum, statim facturum imperata; et bellum ab Hispanis parari serio videns: delusum se denique intellexit, iramque in Christianos, in Lusitanos potissimum ac Patres Societatis, tamquam infelicis consilii, et rei male gestæ auctores effudit : templumque Nangazachiense longe pulcherrimum exscindi cum domicilio Societatis jussit.

Bellum Coreanum.

Aderat Nangazachii per eos dies Rex Ingæ, qui perspecta Christianorum patientia in tanta calamitate, et cognita ex ipso Nangazachi gubernatore illorum innocentia, divinam legem atten-

Rex Ingæ baptizatus.

Quinque PP. a Firandi rege veneno interempti.

tius cognoscere studuit, cognitamque suscepto palam baptismate professus est. At Rex Firandi oblatum sibi tempus existimans explendi veteris quo flagrabat in Christi cultores odii, præter complures e populo bonis et vita spoliatos, quinque Societatis Sacerdotes clam veneno sustulit, Franciscum Carrionium, Theodorum Mantelium, Georgium Carvallium, Josephum Furnalettum, et quintum cujus nomen proditum litteris non est.

Japoniæ Episcopus P. Martinez,

Ad sustinendam vim persecutionis, quam imminere gravissimam conjectura non levis erat, opportune accidit ut P. Petrus Martinez, Indiæ Provincialis, crearetur Episcopus Japoniæ. Nominatus eidem fuit adjutor, et postea successor futurus P. Ludovicus Cerqueira, Theologiæ professor in collegio Eborensi. Utriusque nominationem Pontificia et regia auctoritate factam, eo minus gravate Aquaviva tulit, quod ejusmodi dignitas periculi plus ac laboris haberet, quam splendoris et commodi.

P. Riccii eruditio et patientia;

Dum inter spem ac metum fluctuat cum Religione Societas in Japonia, non parum profecit in Imperio Sinensi. P. Matthaeus Riccius, perceptis incredili celeritate Sinarum litteris ac sermone vernaculo, degebat in urbe Xaocea, utque curiosam gentem alliceret ad cognoscendam Christi legem, ornaverat domum nostram piis tabellis, et chartis quibusdam mathematicis. Confluxere cives visendi audiendique studio,

præsertim Litterati, quorum Ordo inter Sinas nobilissimus; ex iisque unus non dubitavit profiteri se discipulum Riccii, palamque illum ut magistrum venerari : quem doctor Evangelicus primum reconditioribus quibusdam mathematicæ arcanis, mox doctrina cœlesti paulatim erudivit. Inde clarum Europæi magistri nomen : at inde quoque, ut fit, invidia, et odium ingens Bonziorum, a quibus concitata plebs ædes Patrum nocturna lapidatione appetivit, januam diffregit, uni e Sociis caput, impacta securi, graviter vulneravit. Riccius, dum ut improborum vim effugeret, e fenestra desilit in vicum, pedem extorsit periculose. Magistratus severam de nocturnis illis ganeonibus habuit quæstionem. Comprehensis irrogatur supplicium; alii capite damnantur, alii partim triremibus addicti, partim grandi pecunia mulctati. Mandarini placandos reorum pœna Patres et consolandos rati, vehementer obstupuerunt, cum illos viderunt orare veniam miseris, et pro sceleratis percussoribus supplicare. In quo Riccius tam enixe patroni suscepit partes ut mitigata priori sententia, pœna capitis ac triremium in paucas plagas converteretur. Ignota Sinis ad eam diem clementia, collectam ab advenis Europæis doctrinæ famam majorem in modum auxit, admiratione virtutis : et Mandarinus Guanciunminus, Præses tribunalis rituum, qui tunc Xaocea transibat, re cognita, ultro ad Riccium venit.

utriusque fructus.

quamvis alienum dignitate sua judicaret visere ac resalutare primores urbis et regios ministros, a quibus honoris et officii causa fuerat salutatus. Cum Ricciùm Mathematicis disciplinis, in quibus ipse non tardus erat, penitus eruditum, post longum accuratumque cum eo sermonem cognovisset, putavit idoneum qui navaret operam emendandis Calendarii Sinici erroribus, in quibus astrologi Sinenses frustra, nec sine invidia populi et offensione sudabant. Et evocabo te, inquit, Pekinum, statim atque compositis aliquot negotiis illuc me retulero. Id unum Riccio in votis erat : in eoque religionis apud Sinas constituendæ cardo verti videbatur. Interim ut seditiosæ plebi eriperetur occasio vexandæ Patrum domus, deposita Bonziorum, quam gerebant veste, sumpserunt eam qua vulgo Litterati utebantur. Hæc vestis doctores divinæ legis primum vindicabat a contemptu et odio, quo apud optimum quemque vestis et tota Bonziorum natio flagrabat; deinde comprimebat audaciam plebeculæ, quippe cum ipsorum domus censeretur Litteratorum domus, non Bonziorum, quorum in ædes ac templa fas erat populo impune irrumpere, in iisque ludo et epulis indulgere.

Vestis PP. in Sina.

Nata sunt hoc anno collegia Constantiense in Germania; Barrulanum, seu Barolitanum in Italia; Albenacense et Petracorense in Gallia, in qua etiam restitutum est Rotomagense; Insulense in

Collegia hoc anno fundata.

Belgio; OEttingana domus Probationis in Bavaria; Initium quoque datum collegio Melitensi, ultima operi manus imposita tantum est anno MDXCV.

Exstitit aliquid altercationis et controversiæ inter Duaceni Collegii Patres, et ejusdem urbis Parochos, qui contendebant non satisfieri præcepto Ecclesiæ, si quis diebus festis ac Dominicis non interesset solemni Missæ in paroecia cantatæ; item si quis peccata in Paschate non aperiret Parocho suo, vel Sacerdoti ab eo delegato. Si quis vero apud religiosos aliosve Sacerdotes animum feriis Paschalibus expiasset; si rei divinæ apud cœnobitas diebus Dominicis interfuisset, iterandum confessionem prædicabant, et violatum de audienda Missa præceptum. Utramque hanc Parochorum opinionem Clemens VIII condemnavit peculiari decreto hujus anni*.

Lis inter cœnobitas et Parochos,

a Pontifice decisa.

* *Die* 22 *Decembris.*

Annus Christi 1593 : Societatis 54.

Annum hunc tria præcipue memorabilem faciunt. Primum Congregatio Generalis quinta; deinde P. Franciscus Toletus in Collegium Cardinalium cooptatus, denique pretiosa mors duorum e nostris quos hæreticorum impia cohors Albinaci mactavit. Congregationis eventum eo majori cura, et solicitudine Societas universa exspectabat, quod prima omnium esset quæ vivo Generali Præposito haberetur, et quod ei solita libertas non facile constatura videbatur, propter molitiones nonnul-

Congregatio Generalis V.

lorum e nostris, qui novitatis studio statum Societatis immutare conabantur. Et quoniam præcipuæ illorum querelæ ipsum Generalem Præpositum petebant, a quo Societatem non recte gubernari causabantur, hoc ante omnia cognosci a Patribus congregatis et dijudicari Aquaviva voluit. Auditi sunt accusatores, examinata quæ objiciebantur. Aquaviva innocens a Patribus, et ab ipso Pontifice, declaratus est. Inde varia perturbatorum postulata excussa, de tempore Congregationibus Generalibus habendis præfiniendo, de augenda Congregationum Provincialium et PP. Assistentium potestate, et alia quædam hujus generis, quæ magnam partem sunt rejecta et explosa. Duo tamen, eorum deprecatione, jussit Pontifex : ut mutarentur Assistentes, et Congregatio Generalis post sexennium haberetur. Nihilominus idem Pontifex, anno MDXCIX oratus a Patribus, annuit ut morem pristinum Societas retineret, neque vivo Generali cogerentur comitia totius ordinis, nisi cogenda esse, Procuratorum in urbem tertio quoque anno mitti solitorum Congregatio judicaret. Territi Patrum congregatorum fortitudine consensuque perturbatores, et ab iis gravi decreto percussi, parumper quieverunt : cumque ceteris decreta quædam ediderunt universæ Societati utilissima, quibus conditis Congregationi quintæ finis impositus est die decimo quinto Calendas Februarii anni MDXCIV.

Magnas in Congregatione partes, et Aquavivæ submolestas, egit P. Franciscus Toletus, a Clemente VIII Romana per eos dies purpura donatus. Quippe Hispanis quibusdam Patribus, popularibus suis, Societatis pacem turbantibus, plus æquo favebat, eoque efficacius, quo majorem ipsi auctoritatem recens honor, et aditum faciliorem ad Pontificias aures, dabat. Quid quod alienior esse a Præp. Generali dicebatur, cujus gubernandi rationem in multis improbaret. Ob ingenii amplitudinem, uibertatem eruditionis, morum comitatem, ac prudentiam, carus Summis Pontificibus fuit. Cordubæ in lucem editus anno MDXXXII, ad Societatem accesserat anno MDLVIII, nec ita multo post Romæ Philosophiam ac Theologiam docuerat. Inde ad habendas in Apostolico Palatio conciones accitus a Pio V, munus hoc annis quatuor et viginti gessit; identidem alio atque alio excurrens, quo grave aliquod negotium religionis vocabat. Sic anno MDLXXI datus comes fuit Cardinali Commendono ad Maximilianum Cæsarem, ac Sigismundum Poloniæ Regem, Legato. Rediit in Germaniam, jubente Gregorio XIII ad Cæsarem, et Albertum Bavariæ Ducem. Decem post annis in Belgium se contulit, et Bajum ad recantanda quæ docuerat, leniter adduxit. Sacro vestitus ostro, præclare de Gallia et religione meritus est, admitendo summa ope apud Clementem VIII ut Rex Henricus IV vinculis anathematis solveretur.

Cardinalis Toletus.

PP. Salesius et Saltamochius occisi a Calvinianis :

Quantum gloriæ attulit Societati atque Ecclesiæ Toleti vita, in illustri maximorum munerum studio traducta, tantum utrique peperit ornamenti pretiosa mors P. Jacobi Salesii, ejusque comitis Guillelmi Saltamochii, inter crudeles hæreticorum gladios oppetita. Sic ambo purpuram nihilo Romana deteriorem, suoque imbutam sanguine sunt consecuti. Sacras per adventum Domini conciones habebat P. Salesius, Albenaci, quæ civitas est Occitaniæ in Gallia, cum Calviniani urbem proditione occuparant. Oppidanis in arcem confugientibus, ipse cum Socio vicinum templum petit. Urbe direpta, utrumque invadunt milites impii, et contumeliis omnibus affectos pertrahunt in ædes immanissimi Calvinistæ, ubi provocatus ad disputationem Salesius, errorem demonstrata veritate, petulantiam religiosa modestia, superavit. Victum se doluit præ ceteris Labatius, novi Evangelii minister, doctrinæ fama clarus inter suos. Ira et pudore æstuans, libellum, olim de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento a P. Salesio editum, attollens. Quid cessatis, inquit, hunc pseudoprophetam, hunc Antichristi prodromum de medio tollere? Inultum abire patiemini quem vobis mactandum Deus, victoriæ recentis non dubius auctor, dedit! Exspectatis scilicet, dum hoc veneno tota quanta est Gallia corrumpatur! His vocibus efferata plebs Dei famulos ex ædibus in vicum raptat, ubi miles fistula ferrea globulum plumbeum

excutiens, orantem Salesium et supremas Christi voces *Ignosce illis* ingeminantem humi dejicit, accurrensque alter Sicarius adacto in latus gladio confodit. Ruebat in exspirantis complexum ejus comes Guillelmus Saltamochius, quem scelerati strictis pugionibus in eodem vestigio confecerunt, secunda post meridiem hora, octavo Idus Februarii.

virtutes eorum etc.

Oriundi ambo ex Arvernia : Salesius annos triginta sex natus, quatuordecim egerat in Societate, maximarum virtutum constanti laude clarus et egregiæ inter alias erga divinam Eucharistiam pietatis; Saltamochius annos octo ac triginta expleverat, obedientia, humilitate, ceterisque religiosæ vitæ dotibus insignis. Quæstio apud sacros judices de illorum nece, triduo post instituta fuit; interrogati testes una voce affirmarunt cæsos odio catholicæ Fidei; et examinata rite testimonia Episcopus publico monumento consignavit. Accesserunt humanis testimoniis divina, nec dubiis argumentis ac prodigiis Deus servorum suorum sanctitatem et gloriam declaravit; quorum cognitionem Ludovicus XIII ad S. Congregationis tribunal deferendam curavit, Alexandro VII Pontifice, ut eorum virtuti solemnis honor aliquando tribuatur. Eorum corpora, quæ raptim in horti angulum fuerant conjecta, triennio post, Avenionem in Societatis collegium translata sunt : percussores insolitis vexati morbis, aut ferali nece sublati, manifestas Deo pœnas dederunt.

In Scotia Crittonius et Gordonus.

In Anglia et Scotia si non fudit sanguinem Societas, a periculo certe propius abfuit. Patres Crittonius et Gordonus, captantes aditum in Scotiam, mercatoris proditione detecti, et comprehensi fuere. Gordonus in gratiam suorum affinium præcipua inter Scotos nobilitate præstantium, ita libertate donatus est, ut exulare statim juberetur. Crittonius, cum varias interrogationes captiose ac fraudulenter propositas dissolvisset, accusatus est tamquam conscius conjurationis contra Reginam fabricatæ, auctore Guillelmo Pario. In dubium veniebat ejus salus et vita, nisi ab ipso conjurationis auctore purgatus fuisset, affirmante : non modo Crittonium in tanto scelere non fuisse, verum etiam se ab illo reprehensum graviter, et ab incepto nefario summa ope deterritum. Quod ubi cognovit Elisabetha, laudavit Crittonium, et in eas erupit voces : *Hæccine illa tandem est Jesuitarum perfidia ! capiti meo terra marique, ut fertur, insidiantium? En, armatis in me sicariis ferrum de manibus extorquere conantur!* Crittonius cum honore dimissus remigravit in Belgium, et seminarium Scoticum, a Maria Stuarta positum Mussiponti, Duacum transtulit, qua in urbe ab Oceano Britanico minus remota, hodieque floret, concurrentibus in hoc asylum tum nostris, e Scotia cedere coactis, juvenibus Scotis, domo plerumque ob religionem profugis. Alterum quoque seminarium Hibernorum Olisip-

Scoticum Seminarium, Duaci;

pone conditum fuit, opera P. Joan. Houlingi, qui adolescentes populares suos, aut patriam sponte deserentes, aut captos a prædonibus, excepit, collegit sub unum tectum, adjuvante civium liberalitate, collectosque bonis moribus et artibus erudivit. Postremo Robertus Personius a Philippi Regis catholici munificentia et pietate impetravit, ut Anglorum novum seminarium Audomaropoli, unde brevis et frequens in Angliam transitus est, poneretur. Theatinum Collegium hunc pariter annum natalem habuit in Italia. Marsalense, seu Lilybætanum, in Sicilia; Vergarense, Astigitanum, Monfortense et Briatiense, sive Bæzanum, in Hispania; Novodomense in Bohemia; Biburgensis Residentia, in Germania; Domus Probationis Genuensis et Tolosana; Domus Professorum Mexicana; stabilis sedes in Cinaloa; Collegium Manilarum, in Philippinis; Collegium Assumptionis, in urbe Assumptionis primaria Paraquariæ; Collegium denique Chilense in regno Chilensi.

Hibernicum Olisippone,

Anglicum Audomari.

Collegia inchoata.

Est hoc regnum Peruviæ finitimum, et ea clauditur a Septentrione; alluitur ad occasum mari Pacifico; ad ortum cingitur perpetua montium altissimorum quasi catena, finesque Tucumaniæ attingit. Protenditur a vigesimo octavo gradu Austrum versus usque ad septimum circiter et quadragesimum : latitudo non major quam sex septemve graduum est. Regio in ditionem Hispanorum venit paulo post an. MDXXXVI.

Ingressus in Chilense regnum.

Ad cicurandas barbarorum mentes, et religione imbuendas, eo Societatem vocavit Rex Catholicus. Octo e nostris Lima profecti Februario ineunte, Coquimbum, Chileni regni celebrem portum, attigerunt exeunte Martio; unde ad urbem Sancti Jacobi, regni primariam, progressos excepit læta civitas, et statim ædificando collegio manum admovit.

Labores in Tucumania,

Tucumaniam ingressa Societas erat anno MDLXXXVI. In hanc aliquot Socii recens advecti, et per vastissimam regionem evagati Mataranos, Huarpas, Lullos, Niguaraas, Calquaquinos, Prontones, accolas fluminum Salsi, et Rubri, alios aliis nominibus, institutis, superstitionibus discrepantes, sacro lustrarunt baptismate et cœlestibus præceptis imbuerunt. Dux illarum expeditionum P. Alphonsus Barsana, viginti millia ethnicorum Sacramento Fidei mundasse quadriennio fertur; pacem Hispanos inter et indigenas non senul composuit; linguas perdifficiles novem ac plane diversas, brevissimo tempore non didicit modo, verum etiam conscriptis libris, ut ab aliis percipi tradique possent effecit; denique stationes duas Societatis in Tucumania posuit, unam in urbe S. Jacobi, alteram in oppido Salta.

et Paraguaia.

Infra Brasiliam et Chilense regnum jacet Paraguaia, seu Paraquaria, cujus appendix quædam, aut pars, ut alii volunt, est Tucumania. Paraguayæ caput Civitas Assumptionis vocatur.

In eam quatuor e nostris venerunt primum anno MDLXXXVIII, et post navatam aliquamdiu civibus operam, ac domum Societatis in oppido Valarica constitutam, in circumjectos agros et oppida effusi opima Christo spolia de variis populis tulerunt. Cives Assumptionis collegium in urbe sua hoc anno Societati dedere.

In Peruvia,

Venerant in Peruam anno superiori exeunte Socii tres et triginta, qui statim in laborem incubuerunt. Pars regionem, et Indorum casas lustrarunt; pars Limæ constiterunt in ejus quodam suburbio, quod quia clausum et cinctum aliquo munimento, *Septum Sancti Jacobi* vocabatur. Huc e vicinis locis colligebantur Americani, ut facilius erudirentur, illorumque data pridem erat cura Patribus Societatis a Prorege. In eumdem locum e proximo pago translati fuerant Piscatores, quibus præerat Sacerdos a Limano Archiepiscopo impositus. Eo Sacerdote mortuo Prorex curam Piscatorum Patribus in suburbio, sive septo S. Jacobi, degentibus commisit; cumque Archiepiscopus * Sacerdotem alterum erudiendis istis piscatoribus vellet præficere; obstitit Prorex, imo ædificationem templi a Præsule inchoatam disturbavit. Hinc molestæ lites. Archiepiscopus Patres Limani collegii concessis olim facultatibus spoliavit: eos qui septum S. Jacobi curabant, omni sacrorum administratione interdixit, cumque se paratos exhiberent ad deserendam piscatorum

Archiepiscopus Limanus

* *Turibius Alphonsus Mogrovego.*

subinfensus placatur.

curam, Prorex vetuit, et causam ad Regem detulit. Rogatus a Præposito Societatis Archiepiscopus ut pristinam Sociis benevolentiam redonaret; monitus etiam a Pontifice ut causam hanc ulterius ne urgeret, obtemperavit, ac Patres qua solebat charitate complexus est. Sancti facile placabiles iras gerunt, neque cunctantur aliquid de suo etiam jure concedere ad pacem vel conservandam, vel resarciendam.

Platense Collegium etc.

Difficilius composita fuit discordia per cœnobitas quosdam adversus Societatem excitata in urbe Chuquisaca, quæ limitem Australis Peruæ attingit, non procul a Potosinis argenti fodinis, unde etiam nominatur Argyropolis, sive urbs argentea; et Plata, quæ vox apud Hispanos argentum sonat. Cives parabant magistris Societatis liberos suos in disciplinam tradere. Obluctati sunt miris modis religiosi quidam viri, metuentes ne quid de suis commodis et existimatione deperderent. Vicit invidiam patientia Sociorum, et collegio initium est factum.

Canariæ Insulæ excoluntur.

Proficiscentem in Fortunatas insulas ipsarum Episcopum, quatuor e nostris comitati sunt mense Aprili. Post diem septimum quam Hispali solverant, venere in urbem Palmarum quæ est primaria insulæ Canariæ, Fortunatarum præcipuæ, cujus etiam nomen ceteris vulgo tribuitur. Pleræque sunt steriles, inamœnæ, ac parum dignæ specioso Fortunatarum nomine. Sterilitati bono-

rum cœlestium, quæ non minor erat, diligenti cultura consultum est.

In Japonia quis rerum status;

Licet Japonensis ager pauciores efferret fructus, dum persecutionis hyems aspera sævicbat, nihilominus sterilis usquequaque non erat. Degebant in Japonia centum viginti sex e nostris, quorum duo dumtaxat cum talari, et religiosa veste conspiciebantur palam, nimirum PP. Organtinus, et Rodericius, exilii lege, ceteris indicta, soluti ab Imperatore. Lucem publicam reliqui vitantes exercebant solita ministeria, splendore ac strepitu quidem minori, non minori utilitate. Nam per idem tempus Arimæ septingenti ethnici sacro fonte tincti sunt; Nangazachii, præter cives, advenæ octingenti; Omuræ, amplius ducenti; circa Meacum, quadringenti; in Ximo sacrarum confessionum excepta uno anno centum triginta et amplius millia. Excursiones factæ in regna Voari, Mino, Canga, Noto, Jerchu. Collegium Amacusanum, quia erat in ditione Augustini, dynastæ apud Imperatorem gratiosi, minus patebat infidelium vexationi. Pari securitate fruebatur Facinarense Seminarium, in quo magnum lectissimæ juventutis numerum Societas erudiebat. Ipse demum Imperator cognita Patrum moderatione, atque adeo metuens ne Lusitani, Nangazachiense templum, anno superiori eversum moleste ferentes, suas alio merces deferrent; ejusdem templi ac domus Societatis reparandæ potestatem

fecit, ea conditione ut ne plures quam decem e nostris ibi aperte degerent, qui numerus videbatur sufficere ad sacra Lusitanis ministranda.

qua de causa eo venerint Franciscani,

Hæc malacia quamvis non pœnitendæ pacis speciem haberet; tamen a Societatis adversariis spargebatur per Philippinas fama : catholicam rem in Japonia, Societatis culpa, concidisse; Patres exterminatos, templa destructa, neophytos ad colenda falsa numina revolutos. His auditis Franciscani qui tunc in Philippinis versabantur, accurrendum putaverunt ad opem Religioni ferendam. Olim, cum res Christiana floreret inter Japones, eos vocaverat non semel Societas in gloriosi laboris partem. Vetuerat Gregorius XIII edito diplomate*, ne quis illorum, aut ex alia religiosa familia, in Japoniam prædicandi Evangelii causa, exceptis Religiosis Societatis Jesu, se conferret. Existimarunt Franciscani locum interdicto Pontificio nullum esse, in tanto religionis periculo. Itaque cum Legato, quem ad Taicosamam gubernator Philippinarum mittebat, profecti XII Calendas Junii, navim ad portum Firandensem appulerunt. Ibi cum vidissent rem aliter se habere, atque illis Manilæ nuntiatum fuerat, tamen restiterunt in Japonia illecti spe nonnihil pro Christo patiendi. Quo eventu, anni sequentes narrabunt.

* *anno* 1583.

Annus Christi 1594 : Societatis 55.

Hoc anno delata fuit ad Romanum tribunal controversia gravissima de Auxiliis divinæ gratiæ, inter Patres Dominicanos, et Theologos Societatis magno animorum æstu concertata. In eo vertitur ista controversia, ut explicetur quemadmodum divina gratia tam certo effectum sortiatur, et eum habitura cognoscatur a Deo; et libertas tamen integra maneat voluntati creatæ, gratiam sic admittenti, ut eam repudiare possit. Dominicani gratiæ vim cum effectu certissime conjunctam, et a Deo certissime cognitam, fundant in præmotione quadam, sive Prædeterminatione, ut vocant, Physica, ita comparata ut ea posita voluntas non possit non obsequi gratiæ. Theologi Societatis gratiæ effectum parituræ cognitionem certam repetunt a divinæ mentis scientia, qua Deus res futuras tam certo, quam præsentes quæ sunt, aut præteritas quæ fuerunt, cognoscit; ac proinde novit fore ut gratia, si detur in talibus circumstantiis, effectum consequatur. Hanc Dei cognitionem vocant scientiam mediam; scientiam, quia certissima; mediam, quia medium quemdam obtinet locum inter scientiam Dei naturalem, seu simplicis intelligentiæ; et scientiam liberam seu visionis. Dominicus Bannez, Dominicanus, Thomistarum sententiam, et Prædeterminationem Physicam, aut invenit, aut illustravit. P. Ludovicus Molina

Initium controversiæ de Auxiliis;

status quæstionis:

scientiam mediam, a Societatis theologis dudum inventam, uberius explicuit in eo libro, quem anno MDLXXXVIII, edidit Olisippone, et inscripsit *Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis* etc. Hunc librum quamvis et sacri quæsitores in Lusitania, et Bartholomæus Ferreira, Dominicanus, librorum in eadem Lusitania censor ordinarius, approbassent, tamen improbavit Dominicus Bannez, et alii quidem theologi, quibus scientia media displicebat. Divisæ pugnantibus sententiis scholæ, præsertim Hispanæ, in molestas altercationes erumpebant. Cum inter dissidentes glisceret discordia, perlatus Romam usque fragor, Clementis VIII aures impulit qui litem theologicam *de gratia sufficienti et efficaci,* non de libro Molinæ, ut quidam scripserant, ad sedem Apostolicam evocavit, ac interim de hac materia silentium utrique parti contendentium indixit. Hæc prima velut ætas et epocha est famosæ illius controversiæ *de Auxiliis :* quæ interposito annorum fere quatuor silentio excitata rursum est, et agitari Romæ cœpta, anno MCXCIX.

causa Romam evocatur

Dum catholicæ veritatis clariorem exquirit Roma lucem, eam opprimere Anglia laborabat. P. Joan. Cornelius, Anglus, e Romano Anglorum Seminario in patriam reversus, anno MDLXXXIII, degebat ut plurimum et latebat in ædibus Comitis Arundelii, unde in vicina loca procurrens auxilio suis popularibus et saluti erat. Versabatur in

P. Joannes Cornelius in Anglia,

ejusdem Arundelii familia servus nequam, solo nomine catholicus, re, moribusque pejor pessimis hæreticis. Sæpius a P. Cornelio propter flagitia objurgatus, prodere illum, ac perdere statuit. Latebrarum, in quas solebat conjicere se Christi famulus, facit indicium Duumviris capitalibus, ex eorum numero quos *Irenarchas,* quasi pacis custodes, vocant Angli. Adsunt illi cum expedita militum manu. Orto clamore Cornelius proripit se in paratam cryptam. Qua subito perfracta, apparuit genibus humi positis orans, et inter militum strictos enses, inter familiæ proditorem detestantis ejulatus, protrahitur octavo Calendas Maias, ut Angli numerant, decimo octavo. Conjectus in vincula nihil antiquius habuit quam ut in Societatem, id quod in votis pridem habebat, admitteretur, ut in ea, si minus vivere, mori saltem posset. Admissus est a P. Henrico Garneto, nostrorum tunc in Anglia præside, carceremque pro domo Probationis habere jussus, in eo dignum Ignatii milite tirocinium posuit. Oblata brevi est occasio profitendæ, quam voverat, sanctioris militiæ. Judicibus sistitur ac postulatur Majestatis: quod contra decreta regia manserit Sacerdos catholicus in Anglia, quod Papistica celebraverit mysteria, quod Sacramenta ministraverit. Hæc omnia ultro confessus, et capitis continuo damnatus est. Patibulum arcte complexus exclamavit. *O bona Crux, diu desiderata!* tum se Sacerdotem Ecclesiæ

propter Fidei confessionem

morti traditur.

Romanæ, et Societatis Jesu religiosum palam professus, preces pro Regina, suisque civibus fudit, ac porrectum laqueum dulci libans osculo in collum inseruit. Cor adhuc spiranti avulsum, corpus in quatuor dissectum partes, ut mos Anglis in supplicio perduellium. Hæc gesta Dorcestriæ, ubi Cornelius comprehensus fuerat, quinto Nonas Julii. Sacerdotis egregii virtutes, potestatem in dæmones, pietatem in mortuos, et res præclare gestas legere est in eo libro, qui inscribitur *mortes illustres*.

P. Gerardius

Servi perfidia similiter ac proditione captus est eodem anno, at exitu dissimili, P. Joannes Gerardius. Romano Anglorum Seminario in Societatem adlectus anno MDLXXXVIII redierat in patriam. Cum ad illum frequens fieret concursus catholicorum, movit suspicionem infideli servo, qui ductus ingentis præmii spe, si sacerdotem proderet, milites clam immisit domum. Comprehensus Londini Gerardius horribilem carnificinam pertulit invicta constantia, adeo ut brachiis manibusque fœde distortis ac toto laceratus corpore, pascendus esset ingesto in os cibo. Patientiam admiratus custos carceris nonnihil de consueta severitate remisit, eique potestatem fecit colloquendi cum Ardeno, catholico nobili, qui jam annos decem tenebatur in superiori carceris parte. Hæc imminebat fossæ circa muros ergastuli excavatæ, inducta e vicino fluvio aquâ plenæ.

dirissime cruciatus

Ibi dum colloquuntur, vidit Gerardius, ut est ingeniosa calamitas, locum esse fugæ. Scribit ad amicos et ab iis noctu rudentem accipit, cujus pars ima trunco arboris in fossæ margine, pars summa muro custodiæ alligata erat. Per hunc rudentem, ac pensilem velut pontem; librant sese, Ardenus, ac Gerardius et superata fossa delapsi ad terram, mox equis paratis impositi, procul diffugiunt. Reversus postea Londinum Gerardius quas pertulerit ærumnas, quæ pericula subierit dicetur in loco. elabitur.

Non eadem facilitate necem sibi ab hæreticis paratam effugit P. Joannes Lelesius, primus e nostris ingressus Transsylvaniam, et rector morum, atque magister puero Principi Sigismundo datus; ad cujus aures ne qua perniciosæ novitatis aspiraret aura, domum regiam venenis Arianorum, Calvini et Lutheri, Transsylvaniam omnem inquinantibus, expurgare diligenter studebat, cum ei ipsi toxicum in funesto poculo propinatum est. Paululum repressa vis mali molestam in paralysim desinivit, qua constrictus profligatam valetudinem aliquandiu sustentavit, ac teneram Sigismundi ætatem regere usque eo perrexit, dum e Transsylvania cum reliquis Sociis pulsus Lauretum se recepit, ubi velut in complexu divinæ Matris spiritum ultimum effudit, die XXVI Februarii anno Domini MDXCV, ætatis quadragesimo septimo. P. Lelesius ab hæreticis veneno interemptus.

P. De Tapia intermitur a barbaris quos erudierat.

Barbaris facilius ignoscimus cum in præcones Evangelii sæviunt, quam hæreticis, qui Evangelium ejusque doctrinam profitentur. P. Gondisalvus de Tapia, Hispanus, Cinaloenses (quorum regio extremæ Californiæ opposita, Mexicani regni pars est) Christianis præceptis et moribus informabat. Sed ut in agris vel optime cultis succrescunt zizania; sic inter neophytos complures egregie institutos, Nacabeva quidam barbaros mores et flagitia pristina retinens, popularibus suis exempli pravitate, impiisque sermonibus vehementer nocebat. Improbum senem verberibus affici publice Prætor Hispanus jussit. Ille vero dolore ac pudore incensus, affines et amicos ad seditionem concitat, et in exitium Hispanorum conjurat. Ante omnia illorum Sacerdotes mactandos ratus, quorum consiliis et pietate regebantur, irrumpit in P. Gondisalvi tugurium, et clavam ligneam ejus capiti tam graviter incussit, ut semianimem humi dejecerit. Erexit se tamen, et Jesum inclamans ad proximum sacellum titubante prorepsit gradu, ibique ab aliis obtruncatus est. Hispani, pars cadaver asportarunt in oppidum vicinum et in templo Societatis sepelierunt, pars elapsos fuga sicarios assecuti supplicio affecere. Captus Nacabeva, priusquam securi percuteretur, non levia Christianæ pœnitentiæ signa dedit. Theveci, vicina gens ceteris ferocior, atque a divina lege ante Patris obitum penitus abhorrens, eo

mortuo illam ultro est amplexa : et novum in nova Cantabria domicilium Societati datum. Incidit fortunata P. Tapiæ mors in sextum Idus Julias; annos ipse tantum quatuor ac triginta peregerat.

In Gallia pristinæ lites resuscitatæ. etc.

In Gallia pristinæ adversus Societatem lites instauratæ sunt a nonnullis academiæ Parisinæ Professoribus. Jacobus Ambosius Universitatis rector, Senatui Parisino libellum supplicem obtulit quo exterminandam esse Societatem contendebat, ut ordini hierarchico, regni tranquillitati, academiæ toti prorsus inimicam atque infestam. Causa in senatu contra Societatem a duobus acerrimis causidicis dicta. Responsum est tum ab aliis patronis viva voce, tum a Patribus, editis libris. Cumque facultas Theologiæ, et Facultas Artium, nec non juris Pontificii et Medecinæ doctores præcipui palam Rectori Universitatis adversarentur, comperendinata lis, ac demum penitus omissa est. At non restincta simul invidia, quæ ansam ad nocendum undecumque captans, eam arripuit e Petri Barrerii scelere, cujus conscios et affines esse Patres affirmabat. Is aliquid contra regis caput nefarie meditatus, et supplicio affectus fuerat : quia vero constabat eum Lutetiæ, cum P. Ambrosio Varadeo locutum, in hunc conjecta suspicio nefandi sceleris fuit. Sed Varadeum et Barrerius purgarat palam, et Henricus ipse IV nullam de illo haberi quæstionem voluit. Hæc suspicio et calumnia unum Varadeum petebat. Alia quædam

machina in Socios Parisienses universos comparabatur. Proposita illis est jurisjurandi quædam formula de obsequio Regi præstando, et de abjurandis fœderibus et coïtionibus contra ipsum quibuslibet. Hanc formulam nonnullæ religiosorum virorum familiæ subscribere negabant, quia Rex nondum solutus a Pontifice fuerat vinculis anathematis; quibus ob hæresim obstrictus tenebatur. Non dubitarunt adversarii, quin eamdem formulam Patres repudiarent. At illi de sententia Legati Sedis Apostolicæ responderunt, se ad subscribendum esse paratissimos. Quo responso attoniti siluere, qui non fidelitatis probandæ locum, sed irrogandi causam exilii quærebant. Hæc illis oblata præter spem anno sequenti fuit.

Domicilia in Belgio, in Italia, et in Mexico.

Apertius agebant in Belgio Batavi, nimirum in patriam et avita sacra conjurati. Groninga post diuturnam obsidionem potiti, Societatem ejecerunt quæ Collegii initia ante annos quatuor ea in civitate posuerat. Cladem hanc pensavit in eodem Belgio Collegium Luxemburgense restitutum, et alia quædam domicilia per eumdem annum nata, Cremonæ, Imolæ, Setiæ, Calatanissetæ et Panormi. Mexicano collegio additum est Seminarium instituendæ juventuti Americanæ : Tepozotlana sedes partim Hispanorum subsidiis, partim collegii Mexicani sumptibus ad hanc diem fuerat sustentata; Indus nobilis fundum alendo Sociorum justo numero necessarium assignavit, et collegium rite

est constitutum. Idem collegii jus et nomen datum Residentiæ Patzquarensi. Collocata pariter est statio in oppido S. Ludovici a Pace. Ejus condendi occasio hæc fuit : Cicimeci, barbara natio, et Hispanis præcipue infensa nunquam ad pacem et concordiam adduci posse videbantur. PP. Franciscus Zarfatus, et Didacus Montesalvus, ambo Americani, et vernaculi sermonis moribusque peritiores, feroces animos paulatim cicurarunt. Barbari composita cum Hispanis concordia, religionem pariter sunt amplexi. Oppidum præcipuum ad eos erudiendos insederunt Patres, cui propterea nomen S. Ludovici a Pace impositum est. In Philippinis insulis variæ positæ sunt domus, et Socii quadraginta huc atque illuc sparsi recentem campum suis sudoribus irrigarunt. Præerat initio Philippinis sedibus Mexicanæ provinciæ Præpositus, sed cum ob locorum immensa spatia, gubernari ab illo nisi per litteras non possent, proprius ipsis datus est præses, qui nomen et partes Provincialis obtineret.

Erecta in Philippinis Provincia.

Non minoris est gloriæ ac laboris revocare ad Ecclesiam schismate infectos et hæresi, quam barbaros et religionis expertes ad eam vocare. Rutheni sive Russi Poloniæ, provinciam obtinent imminentem Transsylvaniæ et Hungariæ superiori, Russiam Rubram vulgo dictam. Græcorum schismate atque erroribus fere sunt implicati. Patres Martinus Laterna, et Gaspar Nabaius a

Rutheni a schismate revocati,

ferali schismate dimoverant plerosque Dynastas ac Sacerdotes, ac futurum confidebant, ut gens tota reduceretur ad Romanæ fidei veritatem si unam in Synodum conveniret. Id vero ut fieret, laboratum est ab illis summa contentione, tum apud summum Pontificem Clementem VIII, tum apud Ruthenorum et Polonorum antistites. Brestiam vocata Synodus est, oppidum Poloniæ majoris in Cujavia. Huc profecti Patres, secum plurimos Ruthenorum præsules et parochos adduxere. Adfuerunt Summi Pontificis, et Latinorum nomine, Demetrius Soliecovius, Leopoliensis Archiepiscopus : tum Bernardus Macziovskius, postea Gnesnensis antistes, et inter purpuratos Patres subinde cooptatus; denique Stephanus Gomolinskius, Episcopus Chelmensis. Nec defuerunt Regis Poloniæ Oratores, per quos curatum ut necessaria synodo pax et securitas constaret. Omnibus rite comparatis sancitum est communi consensu negotium unionis; et missi Ecclesiæ Ruthenicæ ad Summum Pontificem legati, Synodi nomine testati sunt, Ruthenos Græcum ritum in Polonia et Lithuania sectantes eam cum Romana Ecclesia concordiam profiteri, quæ olim inter Occidentalem et Orientalem Ecclesiam vigebat, quæque Isidoro Ruthenorum, et Bessarione Nicæno, Archiepiscopis adjuvantibus renovata in Concilio Florentino fuerat. *

in Synodo Brestano

* *Baronii annal. t. 7. ad calcem.*

Annus Christi 1595 : Societatis 56.

Annum hunc et cruentam scenam rursum aperit Anglia, binosque catholicæ Fidei defensores PP. Robertum Southwellum, atque Henricum Walpolum, e carceris tenebris in gloriosam patibuli lucem producit. Southwellus ortus in Anglia, domo nobili, et patriam religionis causa fugiens, bonas artes Duaci didicerat. Inde Romam venit, ut Societati nomen daret, in qua sperabat se martyrii palmam posse consequi. Admissus et sacris Ordinibus initiatus, remeavit in patriam; in qua majorem, ut erant tempora, fundendi pro Christo sanguinis opportunitatem dari videbat. Hac spe cum P. Henrico Garneto Roma transmisit in Angliam, anno MDLXXXVI, ætatis circiter quinto et vigesimo. Delitescebat plurimum in pago Uxendenio, prope Londinum, apud Bellamæum, Anglum nobilem et catholicum. Ejus filiæ in vincula ob religionem ductæ, pudicitiam cum eripuisset Topcliffus, inter administros reginæ longe improbissimus, puellam uni e suis famulis uxorem dedit. Quæ cum se propter negatam Fidem, et disparis mariti dedecus, invisam parentibus et dote destitutam cerneret, jacturam hanc sarcire statuit prodito Southwello; cujus latebras omnes egregie callebat; et erant, proditiones præsertim Sacerdotum, in primis quæstuosæ. Hac arte venit Southwellus in Topcliffi manus qui palam præ-

Martyrium P. Southwelli in Anglia.

dicabat, tunc se regnare demum ac vivere, cum sacerdotem haberet cruciandum arbitratu suo. Huic Phalaridi deditus Southwellus, quibus modis, quam exquisitis, quam sæpe tortus et laceratus fuerit horret animus meminisse, narrare oratio refugit*. Guillelmus quidem Cecilius, Elisabethæ primarius administer, adfuit identidem cum torqueretur, et invictum animi robur in corpore laniato admirans, non se tenuit, quin supplicii diritatem amico denarrans, inventos in Anglia heroas diceret, qui priscis illis heroibus non concederent. Roberti vero nostri pater Richardus Southwellus, filium aliquando conveniens, et cruore perfusum, macie ac tetra illuvie deformem, seminudum, semivivum aspiciens, dolore vocem opprimente, ad ejus pedes exanimatus corruit. Mox adit reginam supplex, et obsecrans, ut patris, ut filii miserescat; avitam nobilitatem, et nonnulla sua in publicam rem merita commemorat : filium accusari posse, damnari etiam posse, si reus sit; at æquum non esse, ut indemnatus, indicta causa, pœnas tam graves dependere tandiu jubeatur. Hæc lacrymis perfusus orabat pro nato parens; idque in magni beneficii loco visus est impetrasse, ut liceret ipsi filium vestire suis sumptibus, et parce ac duriter alere. Tantum immanitatis cultissimæ Anglorum genti suadere falsa religio potuit! Triennium fere totum steterat in istis ærumnis, ergastula interdum mutans alia aliis graviora, cum a

*P. S. lib. 13.

Guillelmo Cecilio petiit, ut sibi liceret objecta purgare crimina, vel saltem semel mori. Cecilius famam crudelitatis timens annuit, ut causa disceptaretur. Igitur sexto Nonas, sive ut Angli numerant, nono Calendas Martii conveniunt judices. Accusationis summæ hæc erat. *Quod ordinatus fuisset Sacerdos per auctoritatem derivatam et prætensam a Sede Romana; quod in Comitatu Middlesex ut proditor reginæ fuisset, et remansisset contra formam statuti editi.* Southwellus de Sacerdotio confessus, negavit se proditionis in reginam aut patriam reum esse : tamen ut proditor et violatæ majestatis reus damnatur, et jubetur mori. Sententiam capitalem accepit Sacerdos innocens ut votorum summam, et gratias Superis magnas egit. Postero die, quinto nonas Martias, in viminea crate tamquam in triumphali curru, vectus est ad Tiburnum (id plateæ nomen, ubi de facinorosis sumitur publice supplicium), obtutu sereno cœlum suspiciens, et has identidem mittens voces : *Deus bone, tali me honore non dignor.* A crate subvectus in plaustrum, inde ad populum verba fecit, ac professus est nihil proditionis aut sceleris a se contra Reginam aut patriam tentatum unquam aut susceptum : demum utrique fausta omnia precatus, et multitudinem, quæ sacro quodam defixa silentio audiebat, ad catholicam fidem retinendam cohortatus, laqueum collo inseruit. Dereptum patibulo cadaver, quadrifariam dissec-

tum, et pro urbis portis affixum. Annos ætatis numerabat quatuor et triginta; Societatis septem ac decem.

P. Walpolus eodem glorioso supplicio affectus.

Aliquanto pauciores in ea consumpserat P. Henricus Walpolus, patre catholico et nobili genitus, quinque fratrum maximus natu, quorum tres postea eamdem ac ille Societatem Jesu sunt ingressi. Adolescentiam sic in studiis humanitatis, et Anglico jure perdiscendo collocaverat, ut Fidei catholicæ capita, quæ ab hæreticis vocantur in controversiam, diligentius edisceret. Quibus armis instructus multos e popularibus suis ab hæresi revocavit, nondum tamen Christo in ejus Societate mancipatus, quam anno tantum MDLXXXIV iniit Romæ, ubi theologiæ dabat operam, in Seminario Anglicano, annos viginti quinque jam emensus. Ut in Societate nomen suum profiteretur incitatus olim fuerat aspectu P. Edmundi Campiani morientis, cujus imitari fortitudinem cupiebat, ac lauream adipisci. Primus illi Apostolici laboris campus Belgium fuit, in exercitu Alexandri Farnesii, Ducis Parmensis. Inde in patriam rediens* et ab ignoto exploratore proditus Eboracum ducitur, ubi oblatam a catholicis fugæ ac libertatis facultatem recusavit, ne martyrii palmam mitteret, neve proderet exemplum ovibus Christi perniciosum. Quippe intelligebat hinc additum iri stimulos vexatoribus catholicorum; augendam eorum in vestigando diligentiam, immanitatem

*anno 1593.

in sæviendo. Eboraci perstitit in vinculis menses admodum quatuordecim, nempe ab ineunte Decembri anni MDXCIII, quo comprehensus fuerat, usque ad exeuntem Februarium anni MDXCIV, quo ductus Londinum est, ut vi tormentorum exprimeretur aliquid ab eo de catholicis præsertim Sacerdotibus in Anglia degentibus, tum etiam, ut jactabant, de consiliis Hispanorum inter quos versatus fuerat in Belgio, et quorum hostes Belgas fœderatos Angli adjuvandos sibi, misso ad perduellium subsidium exercitu, putaverant. Qui cruciandum P. Robertum Southwellum acceperat Topcliffus, eidem permissus P. Walpolus fuit. Quibus maxime modis tortus a scelesto carnifice fuerit, exploratum non est : quater ac decies cruciatum se fuisse palam ipse in judicio affirmavit. Ceterum, cum se victum Topcliffus, et exhaustas quibus pollebat cruciandi artes fateretur, Walpolus Eboracum circiter Idus Martias hujus anni reducitur, ubi habenda erant Provinciæ comitia, ut majori hominum frequentia, et majori apparatu damnaretur ad incutiendum catholicis terrorem. Brevi peracta causa est. In promptu et a reo confessa crimina, tenebantur illorum judicio capitalia. Quod Ecclesiæ Romanæ Sacerdos, quod Jesuita, quod legum contemptor, quæ Reginam Anglicanæ caput Ecclesiæ pronuntiabant. Ob hæc proditor perduellisque judicatus et productus in publicum decimoquinto Calend.

Maias, felicem osculari laqueum et implicare collo cœperat, cum populi subitus erupit clamor obsecrantis ut vitæ consuleret, ac Reginæ in rebus sacris principatum agnosceret. Vocem impiam exsecratus, facturum se negavit; et iratus carnifex, jubente magistratu, vocem ac spiritum interclusit. Annos sex et triginta confecerat, eorumque duodecim egerat in Societate.

Jonesius et Balduinus.

Ad eamdem necis fortunatæ palmam properabant PP. Robertus Jonesius, et Guillelmus Balduinus. Superis aliter visum, qui vivere illos diutius voluerunt, ut multos exitio sempiterno liberarent. Jonesius in Societatem cooptatus Romæ *, dum repetit Angliam, Londinum incolumis attigit. Balduinus ab Anglis prædonibus captus, et in vinculis habitus est aliquandiu, quia suspicabantur esse Sacerdotem, licet ipse vestitum et nomen Itali mercatoris præ se ferret. Repertus demum est qui Romæ illum a se visum juratus affirmavit : quo testimonio non sine aliquot nummis accepto, levatus vinculis, et dimissus est.

* *anno* 1582.

P. Brilmaker veneno absumptus.

Visus erat P. Michael Brilmaker in Germania, rediisse in gratiam cum hæreticis, quos exagitare non cessabat. Sæpe illorum gladiis palam, sæpe insidiis clam appetitus; demum ad cibum una sumendam, tamquam ad sanciendam pacem et concordiam, invitatur. Sed hostium dona, ut veteri proverbio dicitur, vulgo esse hostilia, porrecto inter epulas veneno, intellexit. Haustam ex

infideli poculo pestem Spadanis aquis expulisse videbatur. Brevi tamen languor iners, ac dolores acerrimi valetudinem paulum recreatam, penitus afflixerunt. Obiit Moguntiæ, octavo Cal. Septembres, annos natus tres et quinquaginta.

P. Joannes Guignardus, capite damnatus;

Accepta hoc anno Societatis clades in Gallia, non uni tantum e nostris, sed plerisque aliis exitio fuit. Castellus quidam, mercatoris Parisini filius, consilium cœperat de necando Henrico IV, Rege Galliæ, quem a concionatoribus hæreticum palam prædicari, et hæreseos fautorem audiebat. Igitur in regiam adrepens, sub vesperam exeunte Decembri MDXCIV, in jugulum Regis, proceres salutantes excipientis, stricto cultro involat; sed, manu aberrante, cultrum in os impulit, excussoque dente, labium discidit. Comprehensus et interrogatus cujus fortunæ et conditionis esset, cum præter cetera respondisset se operam litteris in Societatis collegio dedisse, arripuerunt hanc vocem inimici Societatis, et sceleratum consilium a scholis et doctrina Societatis profluxisse vociferati sunt. Irrumpunt satellites in collegium, interrogantur scholarum nostrarum auditores, examinantur Professorum dictata. Nullum sceleris vestigium deprehensum. Ipse Castellus semel, iterumque tortus, ac demum proxime necandus, constantissime negavit Patres ullam habere partem in suo crimine. Hæc tam liquida testificatio innocentiæ Societatis, non satis visa iis qui pulsam eamdem

Lutetia, et regno volebant. P. Joannem Gueretum, quia Castellum discipulum habuerat, in quæstionem dant. Innocentem pronuntiare post cruciatus adhibitos coacti, referunt se ad Collegium, obserant cubicula, omnes angulos rimantur et perlustrant. Dum arculæ nostrorum et scripta excutiuntur, inventa est in cubiculo P. Joannis Guignardi charta, quales Parisiis in Henricum IV publice ac privatim, tamquam in hæreticum et solio Gallico indignum contumeliose scribebantur. Id cum illi esset objectum, respondit Regem earum rerum, quæ contra ipsum scriptæ vel dictæ fuissent, amplissimam omnibus veniam dedisse, sancitam edicto et promulgatam. Ea ratione quamvis omnino purgatus et innocens merito videretur, tamen damnatus capitis, et in Parisiensi ad Sequanam platea suspensus est. Non contentus unius pœna Senatus; et reliquos Patres extrudere Lutetia cogitans; Regi persuasit homines esse regni perturbatores, doctrinæ exitialis et Regibus inimicæ reos. Quamvis aperte constaret ejusmodi opinionum, quæ Societati affingebantur, odiosa placita, neque Parisiis, neque alibi usquam in scholis nostris tradi, imo peculiari totius Ordinis Decreto prohibita, et confixa: hæc Patribus non profuere quominus in ipsos exilii lex acerba scriberetur. Profecti Lutetia sexto Idus Januarii, Lotharingiam petierunt; nonnulli etiam Romam, ubi cum Cardinali Toleto, et Præposito Generali

Societas Parisiis, et aliis aliquot urbibus exul;

Societatis strenuam dederunt operam, ut Rex vinculis anathematis, quibus ob hæresim erat obstrictus, a Pontifice levaretur. Qui degebant Lugduni, et aliis quibusdam in civitatibus obnoxiis senatui Parisino, discessere. At Tolosana curia, urbesque aliæ, in quas nullum jus est curiæ Parisinæ, Societatem retinuerunt, eamque tamquam regno utilem, juventuti fructuosam, religioni conservandæ prope necessariam Regi laudaverunt, qui ejus causa, ejusque doctrina per otium examinata, illam postea in urbes unde pulsa fuerat, revocavit anno MDCIII.

restituitur in Transylvania

Sua quoque Patribus Transsylvanis hoc ipso anno restituta sunt domicilia. P. Alphonsus Carillius, cui curam dederat Pontifex tuendæ in Transsylvania religionis, et componendi Cæsarem inter ac Principem Sigismundum fœderis, Albam Juliam cum legatis Cæsareis venit ad regni comitia; in iisque primo confirmandum fœdus, deinde catholica sacra pristinum in statum reponenda, postremo Societatem restituendam, præsertim Claudiopoli, curavit; abrogatis in hac parte actis Comitiorum Megesiensium, quæ Societatem exilio damnaverant septem abhinc annis. Collegio Melitensi accessit manus ultima; item Santanderensi et Bilbilitano, in Hispania; ubi etiam jacta sunt fundamenta Valentinæ Professorum domus : iisdem Professis data domus Genuæ; domus vero Probationis commodiore loco posita. At Romæ, in

Collegia condita, etc.

æde Professorum propositis horarum XL precibus, et apparatu ad pompam pietatis per triduum adornato, compressa non parum fuit Bacchanaliorum licentia, et ad alias deinde civitates exemplum illustre manavit.

Expeditiones Evangelicæ susceptæ sunt a Sociis Italis in Pannoniam, in Corsicam, Chium, Naxum, et aliquot alios insulas. Aliqui exercitum Pontificium in Pannoniam secuti, pars aliqua laborum et victoriæ de Turcis, Duce Carolo Mansfeldio, reportatæ fuerunt. Ad Corsicam excolendam Societatis operam Genuenses, quorum in ditione Corsica, postularunt. Fructus operæ, ac labori plane respondit. Chius cognitam jam inde ab anno MDXCII Patrum sedulitatem cupide amplexa est, iisque stabilem stationem donavit, Apostolico diplomate confirmatam. Tanta vero in incolis tum schismaticis, tum etiam catholicis, morum facta mutatio, ut ipsi Turcæ palam prædicarent ex quo Franci Sacerdotes (Francorum nomine Europæos omnes vocant) advenissent, Christianos Sanctos evasisse. Ipsi, qui Byzantium, qui Athon montem habitabant Calogeri, seu religiosi Græci, ad audiendos Patres confluebant. Naxus haud minori studio illos, quam Chius, excepit : et legationem adornabat ad summum Pontificem, rogans ut unum ex illis Episcopum insulæ designaret. Certatum diu a nostris, et ægre impetratum, ut hæc legatio ne mitteretur : satisque visum si perpetuam

Res gestæ in Pannonia,

in Corsica,

in insula Chio,

in Naxo, et

et stabilem in insula sedem, quam enixe populus offerebat, obtinerent. Ceylanum, insulam inter Maldivas et Sundicas positam, Lusitani circa annum MDVI ingressi, varia cum Indigenis bella gesserunt; at præsertim anno MDXCV, Duce Petro Lopez de Sosa. Is P. Antonium Schipanum, ex Ora Piscaria evocavit, ut militibus operam navaret. Lopezio, in acie dum fortiter pugnat, cæso; Schipanus vulneratus et captus est. Pactæ sunt paulo post cum hostibus induciæ, solutus vinculis, et redditus suis P. Schipanus : mox in Ceylano a Lusitanis data statio Societati fuit. in Ceylano.

Insula quoque Gaoxa, in ora litterali Cantoniæ, Sinarum provinciæ, collegium in urbe sua primaria, quam Macaum sive Amacaum Lusitani vocant, læta vidit, fundatum a Gaspare Viega, Lusitano Mercatore opulento. Hujus collegii condendi consilium fuit, ut in eo Sociorum cohors quasi subsidiaria staret, quæ ad Evangelicas expeditiones in Sina et Japonia suscipiendas præsto esset. Ejusmodi subsidiis egebat religio, quæ novis quotidie triumphis in imperio Sinensi regnum Christi augebat. Magnum videbatur, vixque credibile, ut sunt mores et instituta Sinarum, P. Matthæum Riccium id consequi potuisse, ut discipulos haberet ex ordine et cœtu Litteratorum, quibus eruditionis palma in Imperio Sinensi conceditur. Cum iis privatam hactenus, et quasi domesticam, habuerat scholam. Ut publice docere posset aucto- Collegium Macaense.

ritate Imperatoris et privilegio erat opus. Ad eum ut aditum aliquem inveniret, vias omnes investiganti Riccio una præter opinionem oblata est. Scie-Lous, Mandarinus, Pekinum petebat. Huic erat filius gravi laborans morbo, et a Sinensibus medicis prope depositus. Putavit ægrotanti medicinam fieri posse a P. Riccio, quem nihil nescire prædicabant. Illum rogavit ut venire Pekinum secum vellet, ubi nimirum esset major facultas remediorum et copia. Nihil poterat optatius Riccio evenire. Dat se in viam cum illo. Progressum diebus aliquot Mandarinum subiit metus, ne graviter apud Imperatorem offenderet, si hominem externum, nulla auctoritate publica, regiam in urbem introduceret. Aliquandiu tergiversatus tandem Riccio candide renunciat id fieri nullo pacto posse : et simul eum hortatur ut Nankamum se conferat, principem civitatem, amplam et refertam eruditis, ipsique litteras commendatitias ad amicos tradit. Riccius, quamquam spe magna dejectus, tamen arripiendum quod ultro se offerebat, existimans; Nankamum proficiscitur, ubi eximiæ suæ eruditionis specimina brevi dedit, et omnium in sese oculos et admirationem convertit. Prorex captus viri doctrina, non magis quam modestia et comitate, domicilium in ha urbe clarissima illi sponte obtulit: atque hæ tertia Societatis in Imperio Sinensi statio fuit, e novus ad aulam Imperatoris gradus.

Nankami, domus apud Sinas.

In Mogole Hieronymus Xaverius.

Non tentandus anxie Sociis erat aditus ad aulam Imperatoris Mogolum. Ipse illos invitaverat, sed ad eum missi anno MDXCI PP. Leitanus et Vega, inani terrore perculsi, Principemque a Christianis sacris alienum audientes, præpropere discesserant. Moleste Akebarus tulit abitum, fugæ similem, et alios qui vices illorum constantius implerent poposcit. Id negotii datum P. Hieronymo Xaverio, qui magni Xaverii fratre genitus, tanto respondebat nomini, et Goanæ tunc Professorum domui præerat. Profectus cum Sociis duobus, Lahoram, Imperatoris sedem, tertio Nonas Maias attigit. Complexus illum Akebarus locum ædificando templo attribuit, potestatem populo fecit Christiana suscipiendi sacra; nec publicis, quæ in æde nostra fiebant, precibus interesse dubitavit. Læti talibus primordiis Patres scholam erudiendæ juventuti aperuerunt. Hanc Regum et Principum frequentarunt liberi, ac præ ceteris Regis Badaxani tres filii, optimæ indolis adolescentes. Multi e populo sacris baptismi aquis tincti. Gratulatus Patribus Imperator fecit amplo diplomate potestatem Cambaianis, quorum regnum suo nuper adjecerat, religionis Christianæ profitendæ, ad eosque nonnulli Socii destinati.

P. Georgius in Æthiopia,

Quo consilio destinatus fuerit in Æthiopiam P. Abrahamus Georgius, et cur in eam non pervenerit, videtur paulo altius repetendum. P. Andreas Oviedus, Abyssinorum Patriarcha, quinque

Socios in Æthiopiam secum duxerat, Emmanuelem Fernandium, cum Andrea Gualdamezio, Gonzalo Cardoso, Antonio Fernande, et Francisco Lopez. Pater Emmanuel Fernandius, post obitum Oviedi, gessit in Æthiopia nomen et munus Patriarchæ usque ad annum MDLXXXIII, quo laboribus morboque consumptus decessit. Andream Gualdamez, sive ut alii vocant Gualdamum, dum libere Christum prædicat, Turcæ peremerunt in ora maris Erythræi, in insula Mazua, jam ab anno MDLXII. Gonzalus Cardosus a latronibus exceptus periit, anno MDLXXIV. Antonius Fernandes longum ac difficile iter ingressus, ut ægroto morienti Sacramenta ministraret, coactusque in speluncis aut sub dio pernoctare, contraxit morbum, anno MDXCVI, et paulo post extinctus est. P. Franciscus Lopez ad annum usque MDXCVII superfuit, cumque Sociorum auxiliares copias identidem flagitare a Goanis Patribus non cessaret, missi ad eum fuerant anno MDLXXXVIII PP. Antonius Monserratus, et Petrus Paëzius. A prædonibus, dum Armuziam peterent intercepti, et in rubri maris portum delati, varias durissimæ servitutis ærumnas diu pertulerunt. Id ubi Goæ cognitum, placuit aliquem in Æthiopia mittere qui locum ipsorum et vices impleret. Huic muneri aptissimus est visus P. Abrahamus de Georgiis, seu Franciscus Georgius, Arabicæ linguæ gnarus, et notæ probitatis ac prudentiæ. Oriundus a Maronitis, qui Libanum

incolunt montem, et Aleppis natus, inde Romam in Maronitarum collegium venerat, ubi litteris ac pietate excultus nomen dederat Societati. Cum aliquamdiu in Indiis magnam operarii Evangelici industriam probasset, jubetur in Æthiopiam proficisci. Mercatoris Arabis cultu ac veste ornatus, jactatam procellis navem appulit ad Mazuam Erythræci maris insulam; et a præfecto Turcico potestatem in Æthiopiam trajiciendi non ægre impetraverat: cum a servo proditus, conjicitur in carcerem. Postridie ad præfectum productus se Christianum, Sacerdotem, et præconem Evangelii confitetur. Intentantur minæ, supplicia proponuntur, nisi ejurato Christo, Mahometem Dei Apostolum agnoscat. Ego vero, exclamat impavidus Sacerdos, Christum Dei filium, Deumque, credo et colo! istum quem tu magnum virum atque prophetam prædicas Mahometem, præstigiatorem voco et execror. Incensus ira barbarus stricto acinace dicentem invadebat, satellites e conspectu abreptum obtruncarunt, pridie Cal. Maii; annos duos tantum et triginta numerabat. Interim Patres Monserratus et Paëzius, quorum in locum substitutus fuerat P. Abrahamus Georgius, in libertatem vindicati, opera Proregis Indiæ Matthiæ Albuquerki, et Goam reversi sunt, unde P. Paëzius Æthiopiam aliquanto post repetiit.

contempto Mahomete, occiditur.

Quam salebrosa fuerunt primordia Madurensis Missionis, tam fuerunt incrementa felicia. Penin-

Initium Madurensis Missionis.

sulæ Asiaticæ, quæ ab ostio Gangis in meridiem longe procurrit, partem Orienti soli oppositam varia obtinent regna, in quibus præcipuum jure locum sibi vindicat Madurense. Hujus regni littorea pars Ora Piscaria dicitur, et a S. Francisco Xaverio primum, deinde ab Societatis hominibus non indiligenter culta fuit. Intra limites tamen Oræ Piscariæ steterat hactenus labor Evangelicus, cum P. Gonzalvus Fernandez, captata occasione legationis, quam ad Regem destinaverant incolæ ejusdem Oræ Piscariæ, vulgo Paravæ dicti, ad regiam usque urbem penetravit. Auditus a Rege clementer, ædem sacram struxit ejus concessu, scholam pueris erudiendis habuit, moribundos aliquot baptizavit. Sanctam legem civibus publice privatimque totos decem annos proposuit fructu prope nullo. Odio illis et contemptui erant Paravæ, tanquam ignobile, ac barbarum genus; cumque ab iis profectum, et inter eos diu versatum Fernandem scirent, fugiebant optimum Sacerdotem ut vile, imperitum, ac sordidum caput; doctrinamque ab eo propositam animis auribusque respuebant. Hunc obicem ab hoste humani generis objectum Evangelio et qui, ut mores gentis erant, credebatur insuperabilis, arte nova superavit P. Robertus Nobilius anno MDCVI, ut ibi dicetur.

In Japonia, Franciscani Patres

Difficultas operis cursum Evangelii retardavit Maduræ; at in Japonia facilitas præpropera nocuit. Franciscani benigne accepti ab Imperatore,

cum Christi cultores quiete non pœnitenda frui cernerent, et datam sibi potestatem domus ædificandæ Meaci, moliti sunt cœnobium ingens. Sodales suos e Philippinis evocarunt, docere palam cœperunt, ac cœtus Christianorum, licet graviter prohibitos cogere. Dissimulavit aliquandiu Imperator, domesticis quibusdam turbis occupatus; mox horribili terræ motu, qui Japoniam omnem concussit, perterritus est, ac brevi insitum divinæ legis odium in Franciscanos, et Societatis Patres effudit, torrentis ritu qui perruptis aggeribus, tanto majorem edit stragem, quanto diutius compressus et constrictus fuit.

pietati suæ liberius indulgent.

Annus Christi 1596 : Societatis 57.

Instaurata est hoc anno missio ad Maronitas et montem Libanum. Clementi VIII lectos e Societate homines mitti placuit. Designati fuere a Præposito Generali PP. Hieronymus Dandinus et Fabius Brunus, qui sub Idus Quintiles profecti Venetiis, Libanum Calendis Septembribus attigerunt. Gentem regebat Patriarcha Sergius, eoque admodum probante, vocati sunt ad Synodum Episcopi et Sacerdotes primarii. Post editam, præeunte Patriarcha professionem Fidei catholicæ, dictum est anathema erroribus quibus vicinæ gentes contaminatæ sunt; conditi canones, et si quid in disciplina moribusve nutabat, restitutum. Quibus peractis Patriarcham, quasi votorum com-

Missio ad Maronitas instaurata.

potem, vita defecit. Actum de successore deligendo. Cleri et populi vota consenserunt in Josephum Risium, Archiepiscopum, et abbatem Gsayæ, honore isto, propter egregias dotes dignissimum : cumque rursus ad quadragenaria justa ejus antecessori persolvenda primores Ecclesiæ Maroniticæ convenissent, optimum factu visum est, si ad firmandam editorum recens Canonum auctoritatem nova Synodus haberetur. In ea Concilii prioris placita unanimi consensu approbata sunt : rebusque felicissime ac placidissime compositis, Patres sacra Palestinæ monumenta venerati, et in Italiam regressi, legationis suæ rationem Pontifici lætissimo, magnasque Deo gratias agenti, reddiderunt. Magnam quoque eidem Clementi VIII lætitiam attulit confecta feliciter Utinæ Synodus, * cui Patres Antonium Possevinum, et Ludovicum Galliardum interesse voluerat, et quorum in hac Synodo prudentiam collaudavit.

* *Vide apud Labbe, tom. XV. pag.* 1471.

Idem cum Claudio Aquaviva Præposito Generali Societatis, Neapolitanum Archiepiscopatum obtulisset, laudavit ejus pietatem ac prudentiam, qui speciosum honorem fortiter constanterque recusasset. Conatus quoque fuerat Card. Toletus sacram exuere purpuram, religiosæ humilitatis studio, idque a Clemente, scriptis gravissimis litteris * obtinere studuerat. Negavit Pontifex, utque assignatum sibi locum ad publicam utili-

Obitus Card. Toleti.

* *Illas vide Hist. Soc. p. V. lib. XV, n.° 60.*

tatem tenere pergeret imperavit. Destitit pugnare Toletus, ac privatæ vitæ sortem tutam amare non destitit, dictitans identidem malle se in umbra collegii delitescere, quam in sacri Senatus luce conspici : Nimirum intelligebat vir sapientissimus quantis objecta sit periculis conditio vitæ splendidior, et quam gravis ex alto casus. Itaque cum alia sibi adversus honoris insidias præsidia comparaverat, tum vero Beatissimæ Virginis patrocinium promereri contendebat. Sabbato quolibet abstinebat vino, et oleribus vescebatur. Prævio dierum quadraginta jejunio festam ejusdem in cœlum Assumptæ colebat lucem. Ad Basilicam Liberianam singulis sabbatis itabat pedes a Palatio Vaticano, quod intervallum sane longiusculum est. Id vero cum fecisset æstate hujus anni calidissima, contracto morbo decessit Romæ, sabbato festum natæ Virginis consequto, XVIII Cal. Octobres, natus annos LXIII. Supremo languentem morbo Pontifex, singulari benevolentiæ significatione invisit, obortisque lacrymis amplexatus est. Duodecim præsbyteris annuum censum testamento legavit, qui rem divinam quotidie ad aram Deiparæ in eadem Basilica facerent.

Henricus a Lotharingia Societatem petit.

Eodem ac Toletus privatæ humilisque vitæ desiderio tenebatur Henricus a Lotharingia, Episcopus et Comes Virodunensis, cum Romam venit ut peteret a Summo Pontifice veniam pedi Pastoralis deponendi, et Societatem ingrediendi. Monitus

per Socios Gallos Claudius Aquaviva quanti religionis interesset, ut vir tantus Ecclesiæ sibi commissæ gubernacula non abjiceret, certiorem de re tota Clementem VIII fecit, qui jussit illum in attributa statione consistere. Venerant e Gallia cum Henrico viginti adolescentes nobiles ut admitterentur in Societatem. Ex iis nonnullos Præpositus Generalis Romanis tironibus addidit : alios remisit in Galliam ut ibi tirocinium ponerent; alios in aliud tempus distulit, molestiam ac turbas ab eorum parentibus reformidans, quibus insciis et invitis adolescentes Romam venisse cognoverat. Quod obtinere tum Henricus non potuerat, hoc ipsum, aliquanto post impetraturum se speravit, sequestro ac deprecatore Cardinali Bellarmino, ad quem cum e Lotharingia scripsisset, rescripsit Cardinalis fieri nullo pacto posse, ut Pontifex sententiam mutaret, eumque ad pastorale onus fortiter ferendum hortatus est.

P. Carillius oblatum sibi Episcopatum

En aliud humilitatis Christianæ specimen. P. Alphonsus Carillius religionem in Transsylvania stabilire meditans, proprium Episcopum regioni tribuendum judicavit, qui sederet Albæ Juliæ, et hæreticorum conatus præsenti auctoritate comprimeret. Consilium approbaverat Sigismundus Transsylvaniæ princeps, itemque Nuntius Apostolicus, et ipsum Carillium uterque huic muneri destinarat. Verum ille tam honoris proprii fugitans, quam publicæ utilitatis cupidus,

summa contentione repugnavit : cumque cerneret utrumque obniti tanto vehementius, quanto acrius adversabatur, Viennam alio quodam nomine ac prætextu profectus, perfecit ut Demetrius Napragius, Agriensis Præpositus, jamque Sirmiensis Episcopus designatus, ea dignitate cui parem illum sua virtus fecerat, ornaretur. curat alteri tradendum.

Quam promovere ac stabilire in Transsylvania Fidem Catholicam Carillius, aliique cum eo Socii conabantur, eamdem evertere in Anglia studebat Elisabetha; cumque a Seminariis proficisci videret egregios catholicæ veritatis defensores, omnem movebat lapidem, ut ea deleret. Displicebat ipsi præ ceteris Romanum, arx quædam et caput aliorum. Quærenti qua potissimum ratione illud exscinderet, injecta spes est rei facile conficiendæ, si discordiam inter Patres Seminarii moderatores, et ejusdem alumnos immitteret. Nec spes eam sua omnino fefellit. Excitatæ sunt in hoc florentissimo Seminario turbæ graves, et in multos annos propagatæ, donec illas tandem P. Robertus Personius, ex Hispania vocatus, feliciter composuit. Anglorum Seminarium Angli Romæ perturbant

Dum clam et arte veteratoria incumbebat in Romani Seminarii perniciem Regina infelix, palam Collegii Gaditani exitium moliebatur. Immissa in portum Gaditanum classe, urbe capta, collegium invadunt Angli; domum vastant, relictos in ea Socios diris modis torquent : unum præcipue, quia sacras imagines conspuere abnuebat, pugnis cal- et collegium Gaditanum devastant.

cibusque contundunt, et impactis capiti fustibus seminecem humi sternunt. Non diu victoria sua lætati sunt : urbe paucis post diebus pulsi, et male mulctati discessere. At Hispani cladem acceptam Gadibus ulcisci et sarcire dum student, militem propere colligunt, instruunt naves exitium vicissim Anglicis portubus illaturas. Navibus impositi e Sociis quindecim, vix e Tagi ostio solverant, cum horrida tempestas classem dissipavit, fregit, scopulis illisit. E vectoribus plurimi : e nostris novem perierunt. In iis PP. Franciscus Ronsillus et Georgius Blaverius navi prætoria vehebantur. Inclinata unum in latus carina, malum ingentem ita demiserat, ut ejus apex terram tangeret. Per hunc veluti pontem complures evaserant in littus, et sacerdotem utrumque hortabantur ac pene cogebant, ut occasionem evadendi arriperent mature. Illi vero se facturos tandiu negarunt, quamdiu vel unus restaret in navi, et adhuc trecenti supererant; quos peccata confitentes dum audiunt, dum ad omne periculum fortiter ferendum confirmant, decumanus repente fluctus omnes cum ipsis Patribus obruit, XIV Cal. Novembris. Ronsillus in Hispania; Blaverius in Belgio natus erat.

Naufragio quamplurimi pereunt.

Charitatis quoque religiosæ atque obedientiæ laudem sibi merito vindicat P. Nicolaus Montanus Belga, qui profectus Castelletum (id arcis in Belgio nomen est, tunc Hispani juris) ad præsidiarios Hispanorum cohortes Sacramentis Pascha-

P. Montanus ab Hæreticis in Belgio,

libus adjuvandas, ab hæretico milite, Sacerdotem et Jesuitam agnoscente, trucidatus est; itemque P. Antonius Lopes, quem barbari, profectum e collegio Limano ad ipsos erudiendos, veneno interemerunt. Nec sua carere laude debent Socii octodecim, qui ad opem ferendam peste contactis, ultro se morti devoverunt Audomaropoli; aut qui aliis passim in urbibus hoc, et singulis prope annis, in eamdem charitatis arenam descenderunt. Iis recensendis consulto abstinemus, quod proprius de illis commentarius* vulgatus sit.

et P. Lopes a barbaris, occisi.

Peste tacti adjuvantur.

* *Victimæ charitatis: auct. P. Alegambe, S. J.*

Tot Sociorum jacturam, pensarunt nova domicilia. Domus probationis anno MDLXXV exstrui cœpta Tarraconæ, nunc demum inita et frequentata, beneficio duorum Archiepiscoporum Gaspari Cervantis et Joannis Tores. Redditum Burdigalense Collegium, quod suppressum fuerat anno MDLXXXIX; et Montis Regalis in Pedemontio, unde Patres fuerant pulsi ante annos tres et viginti. Iidem Torunium, in Prussia Polonica ad amnem Vistulam, inducti fuere, quamvis civium major pars hæresin sequeretur. Aquilæ in Aprutia Neapolitanus prorex, comes Miranda, jam egerat anno MDXCII, ut domus Societatis poneretur; hoc anno initium publice docendi factum est.

Recentia Collegia.

Nec nihil ad collegiorum decus pertinet Sodalitatum B. Virginis causa defensa, Neapoli. Illas nonnulli proceres penitus abrogandas pugnabant: nimirum aiebant: deserenda templa

Sodalitas B. Virgini accusata e defensa

ab ejusmodi cœtibus; posse, cum in eos cooptantur viri primarii et nobiles, progigni factiones publicæ quietis inimicas. Causa primo ad Proregem Neapolitanum, deinde ad Archiepiscopum, postremo in Hispaniam usque delata. Nec distulit Aquaviva incendium oriens exstinguere. Docuit Archiepiscopum, Proregem, primores Hispaniæ accuratissimis litteris, quem propositum haberent finem hæc Sodalitia, quam ad illum consequendum viam insisterent : convenire Sodales ad audiendas cohortationes pias, recitandas preces, usurpanda Sacramenta; magnam pecuniæ vim ab iis in publica commoda, in egentium sublevandam inopiam, in captivorum frangenda vincula, conferri. Non esse timendam in civitate Neapolitana tam populosa, tam pia, solitudinem templorum, augendam potius Sodalium exemplis, qui frequentes ad publica pietatis officia concurrebant : addidit in istis Sodalitiis, tanquam in Seminariis virtutum, ali et adolescere misericordiam erga pauperes, concordiam in familiis, obsequium et fidem adversus Principes. Documento esse Sodalitates ejusdem generis, in Hispania, Gallia, et Germania, e quibus uberrimi ad publicam et privatam utilitatem fructus capiebantur. Hæc Olivario, Proregi Neapolitano, visa sunt adeo sapienter et vere dicta, ut iniquum de illis abrogandis postulatum penitus rejecerit, ac ne in Hispano quidem Regis consilio mentionem de illo fieri voluerit.

Hæc Sodalitatum causa communis est cum omnibus ubique piorum cœtibus; alia quædam magis propria Societatis agitata fuit, contra Socios præsertim in Japonia degentes, et a malevolis, aut ignaris etiamnum invidiose jactatur: dum illos facere mercaturam criminantur, et parum decoram religiosis viris negotiationem exercere. Quo ex fonte manaverit ista criminatio, et quam longe a vero absit, operæ pretium est cognoscere. Cum in Japonia Patres nihil omnino acciperent ab indigenis Christianam amplexis fidem; alebantur eleemosynis ex Europa delatis. Sed cum hæc pecunia partim naufragiis amissa, partim direptionibus accisa, interdum ad eos nulla, raro certe tota perveniret; satius visum est ejusmodi eleemosynas conferre in merces, quæ, contra quam accidit in pecunia, valorem eumdem ac vim fere semper habent, tum autem minoribus damnis, et incommodis obnoxiæ sunt. Igitur edicto Francisci Mascareniæ, Proregis Indiæ, ac mercatorum consensu, statutum fuit, ut e mille sexcentis fili serici fascibus (totidem enim ab urbe Macaensi singulis annis venales in Japoniam deportabantur) quinquaginta fasces Patribus cederent, et pecunia ex iis venditis redacta ipsis assignaretur. Id autem licet recte ac jure fieri posse legum Ecclesiasticarum consulti censerent; nihilominus Aquaviva rem totam Summo Pontifici explicuit: a quo sine ulla dubitatione comprobatam fuisse, idem Aqua-

Mercatura Patribus in Japonia objicitur.

viva scripsit : cum negaret Pontifex mercaturam hanc appellandam esse, quæ ob solam alimenti necessarii rationem, nec lucri quærendi causa, fieret. Sane in Indiis, Japonia, et aliquot Imperii Sinici provinciis fere non vivitur nisi e mercibus ultro citroque mutandis. Alii sunt aliis gentibus mores; iis utendum qui pietati et æquitati non adversantur. Ipsimet qui hæc Societati objiciebant, eadem usurpare necessario cogebantur. Atque illi quidem voce scriptisque contra Societatem pugnabant; Taicosoma ferro et suppliciis illam exterminare aggressus est. Hujus luctuosæ tragediæ quamvis in extremas hujus anni menses initium incurrat, commodius tamen videtur differendum in sequentem annum ut prima cum mediis, media cum ultimis, non interciso quasi filo jungantur.

P. Martines Episcopus in Japonia bene excipitur.

Huc adde, quod prima hujus anni pars satis quieta, satis etiam prospera Societati fuit. P. Petrus Martines creatus Episcopus Japoniæ, in eam pervenit Idibus Sextilibus, et Imperatori munera Proregis Indiæ obtulit. Gratias egit Imperator, et regia vicissim munera cumulate reposuit : lætus haud dubie, quod se ab Indiæ Prorege, a Christianis, et eorum Antistite, coli videret. Tum etiam perterrefactus erat terræ motu, qui et regias everterat domos, et ipsum in summum capitis discrimen adduxerat. Templis ethnicorum domibusque nullo discrimine ruentibus, steterant ædes Christianorum, ne una quidem excepta, et inter

aliarum strata rudera, salvæ incolumesque conspectæ sunt. Agnovit *manifestam Dei virtutem* superbus imperator, et Christi cultores in cœli tutela esse sentiens, exilii legem Patribus irrogatam propemodum abrogasse videbatur, cum principem ambitiosum funesta, quam anno sequenti memorabimus, occasio in pristinos de Christianis metus, et suspiciones inquietas revolvit.

Tertia apud Sinas vexatio Patrum.

Sinenses hoc tempore Socios, protervæ plebis injuria et turbulenta vexatio in grave periculum conjecit, unde tamen terroris plus quam damni fuit. Cum in urbe Xaocea satis belle staret Societas, domumque nostram proceres cum populo, ad cognoscenda religionis arcana convenirent, forte accidit, ut protervi juvenes coirent in fanum Bonziorum, domui nostræ proximum. Ibi per totam noctem, ut in profanis ejusmodi delubris moris erat, comessati, et vino graves, impetum faciunt in Ædem sacram Societatis. Obstructam nacti, fores vectibus, fenestras saxis incessunt. Vicinis accurrentibus, rixa conseritur, in qua juvenum unus leve vulnus accipit. Illius sodales continuo litem Europæis advenis intendunt, a quibus indignum in morem se habitos, et vulneratos etiam queruntur. Magistratus Patri Cataneo Rectori nostrorum infensus, a quo nescio quid munusculi non acceperat, immissis lictoribus, arreptos P. Sebastianum Fernandem, et servulum, cædi crudelissime jubet. Addit pœnæ ignominiam, et inserto

cervicibus ferreo collari spectandos, ridendosque producit in publicum. Cataneus domo tunc aberat. Statim reversus properat ad magistratum, vixque P. Sebastianum infami ereptum palo recipit. Mox ædiculam nostram, quia fani Bonziani speciem præferebat, magna ex parte diruit : ornamenta domus Europeæ, tabulas geographicas, et alia id genus, quæ curiositatem indigenarum undique confluentium prolectabant, detrahit : adeuntes visendi causa excludit, negans ibi se posse diutius consistere, ubi nihil ab impotentia juvenum et ebrietate tutum esset. Pervasit urbem rumor. Clamant omnes indignum facinus, violatos præter jus fasque advenas optime de civitate meritos. Terruit magistratum publica vox et indignatio. Alium ei terrorem casus injecit. Xaoceam venere nonnulli proceres. Enixe rogarunt, ut artis Europeæ præclara monumenta cernere sibi liceret. Ea sublata, domum nudatam, atque direptam conspiciunt. Causa cognita, graviter in magistratum invehuntur : qui pejora metuens a Mandarino, brevi, ut narrabatur, venturo, Cataneum adiit supplex, damnum ædibus nostris illatum reparavit ac decretum tutelare Patribus perhonorificum, defigi pro foribus ipsorum jussit. Sic paucis diebus ornatior, quam antea, domus apparuit.

Quo nomine appellantur in Japonia.

Suam quoque Nankami domum P. Riccius ornavit. Locum signavit hoc titulo, *Domus ubi habentur conciones.* Quominus templi nomen

præfigeret, in causa fuit metus, ne templum aliquod Bonziorum esse putaretur, quam opinionem stationi Xaoceanæ exitialem fuisse intelligebat. Eidem domicilio nomen aliud etiam impositum est ab indigenis: *Domus advenarum, qui non mentiuntur.* Origo nominis lepida. Mentiri nec turpe apud Sinas, nec rarum. Industriæ pars et ingenii est scite mentiri. Veniam hanc ultro petunt, vicissimque dant. Interpellatus aliquando P. Riccius, ut nescio quid oneris ac molestiæ, officioso mendacio excuteret, tantum vel levissimi mendacii odium præ se tulit, ut omnibus moveret admirationem, nec pauci haud alio ipsum afficerent nomine quam *doctoris, qui non mentitur.* Patres ut Litteratorum vestis quam gerebant, ac nomen religiosæ professioni consentiret, se *legis Divinæ magistros* appellari voluerunt.

Quid agant in Chilensi regno,

Rem Christianam apud Chilenses valde promovit Martini Garziæ de Loyola Prætoris Hispani favor. Religio, quæ vernaculi sermonis inscitia, tardius procedebat, expeditiorem cursum habuit, vulgato Chilensibus litteris libro, quo doctrinæ Christianæ summa continebatur.

et in insulis Philippinis;

Decem et novem Socii e Mexico in Philippinas advecti, Manilam convenerunt, et a Sociis tribus et quadraginta (non enim plures in tot illis insulis numerabantur,) singulari gaudio sunt excepti, suam paucitatem ac labores inexpectato supplemento sublevatos gratulantibus. Continuo

sparsi, quo religio vocabat; gentes feras quæ vagam in sylvis et montibus vitam trahebant, deduxere in certas sedes et civili societate devinxerunt, ut Christo facilius jungerentur. Eorum præcipui fuerunt, insulæ Antipolis incolæ, rapto vivere assueti, nec belli rudes, atque adeo necdum ab Hispanis domiti. Assignato cunctis agro, casas circa templum Societatis condidere, auditamque Dei legem probarunt omnes, aliqui susceperunt. Hinc bipartitus Patrum labor: aliis neophytos plenius erudientibus; aliis ethnicos ad deponendas superstitiones hortantibus.

Insulæ Zebuæ proceribus enixe flagitantibus, data est schola, pueris ipsorum docendis. Zebuæ non cedit insula Leyta, sive feracitatem soli spectes, sive salubritatem cœli. Quinque illic stationes Societatis: Dulacum, Carigara, Palum, Ogmus, et Alangata. Fructus in singulis tantus exstitit, ut multorum annorum dici messis posset. Industriam nostrorum, in insula Ibabæ ampla et frequenti, adjuvit pestilentia. Evangelii præcones per casas admissi, auditores nacti sunt benevolos et attentos; tales ipsa calamitas faciebat. Mille in hunc modum brevi tempore sacris aquis tincti, cum spe optima salutis æternæ decesserunt. Nec minus interea cum valentibus profectum. Data præsertim opera, ut primores gentis et familiarum illustriorum capita Evangelio faverent. Iis volentibus, congregati diversis in

locis pueri, exercebantur diligenter in perdiscendis doctrinæ Christianæ elementis, quæ singuli domum reversi referebant domesticis, imo externis; quorum aliqui vicinas ad insulas unde primum venerant regressi, popularibus suis tradiderunt quæ didicerant, cumque illis in Ibabaem ut baptizarentur redierunt. Eadem fama excivit Maripinenses, quorum insula non aberat procul. Venere, multitudo ingens omnis generis et sexus, orantes ut fierent Christiani, palamque affirmantes populum universum in hoc conspirasse. Negarunt Patres id fieri tam subito, tam festinanter posse : quærendum, an satis a notitia divinæ legis parati essent? Tunc unus e multis, quem virum principem, et reliquorum ducem esse apparebat : Parati sumus omnes, inquit, et facere periculum modo potes; simulque præcipua doctrinæ cœlestis capita recitavit, affirmans, neminem in suo comitatu repertum iri, ad eadem recitanda non paratissimum : id quod ita prorsus esse Patres, interrogando singulos cognoverunt. Itaque cum nec diu abesse domo tanta turba posset; neque ulla, cur in longum duceretur subesset causa; compotes voti omnes dimissi sunt. Mirabilius quiddam accidit in Bohola insula, cujus habitatores Evangelio vix imbuti pristinos derepente mores et vitia, cum tetris aut insulsis superstitionibus exuerunt. Quæcumque sobrietatis, verecundiæ, patientiæ

et mansuetudinis præcepta tradebantur, ea non avidis tantum accipiebant auribus, sed factis et opere præstabant. Exemplo moti Lupenses, (hæc natio partem ejusdem insulæ occupat,) relictis montibus patriis, ubi ferarum potius ritu, quam hominum vivebunt, domicilia prope Societatis templum collocarunt, et e lupis in agnos brevi conversi sunt. Longe alia rerum facies in insula Butuana. Nullis rationibus, monitis aut exemplis vinci pervicax obstinatio poterat. Lex incolis una et ratio, Principis voluntas. Quamdiu ille respuet Evangelium, inquiebant, tamdiu nihil rei nobis cum Christianis erit. Barbarus potentia et opibus vecors, conciones Patrum et adhortationes ut aniles e trivio fabulas explodebat. Deus qui
* *Psal.* 28. *confringit cedros Libani* * superbum caput diffregit. Erat illi filius universe carus, spes familiæ, juvenis ornatissimus. Hunc in rixa et vino servus mactaverat. Accurrit infelix pater, vulneribus repetitis laniat famulum, et amens dolore prorumpensque domo, in collectam circa P. Ledesmium turbam incidit. Habebat Sacerdos crucem præ manibus, et commodum de Patris æterni charitate disserebat, *qui proprio filio pro*
* *Rom. c.* 8. *nobis non pepercit.* * Movit barbarum, at paternum pectus sermo. E dulcissimi filii nece divinam in homines charitatem æstimans, profundit lacrymas. Quid multa! pronus humi ad genua Patris accidit, seque Christianum esse velle excla-

mat. Inopina vox concionem totam gaudio et admiratione complevit. Sacerdos effigiem offert Christi morientis; quam ille complexus et deosculans baptismum enixe postulat; eoque paulo post suscepto edicit, constituta recusantibus capitali pœna, ut populus omnis Christum ejusque legem profiteantur.

Quid apud Carigios, in Brasilia.

Securitatem pariter ac decus ingens religioni conciliavit Tacaragnus, Carigiorum princeps in Brasiliæ parte, quam præfecturam Sancti Vincentii vulgo vocant. Soluta fuerat pristina cum illis concordia, feritate nonnullorum Europæorum, et irritata gens classicum jam canebat. Duobus Societatis hominibus datum fuit negotium resarciendæ pacis. Hoc ultro suscepere tot animarum exitio permoti, quarum salus in pace vertebatur. Occurrit venientibus Tacaragnus, graviterque de illatis populo suo injuriis questus: nunc, ait, adventu vestro et deprecatione placatus fovere pacem cum Lusitanis constitui, meosque omnes per baptismum filios Dei fieri volo. Dictis addidit facta, pacisque obsidem ac pignus dedit suum filiolum erudiendum Patribus. Vix discesserat, ac Patres confecto feliciter negotio læti navem conscendere parabant; cum subitus aures nuntius perculit adesse Casiquios, Patrum adventantium fama excitos, et fœdus cœlestemque doctrinam postulantes. Traditis primis Fidei elementis, dimissi sunt cum bona spe, futurum ut ad eos brevi ac-

cederent alii Sacerdotes, a quibus per otium docerentur. Unus ex istis Casiquiis (sic regulos suos vocant), qui nihilo inferiorem Tacaragno se ferebat, suum pariter filium nostris baptizandum obtulit. Nondum illi abierant, cum alii supervenere. Primum ducebant agmen juvenes arcu et sagittis instructi : feminæ sequebantur cum filiolis : in ultimo agmine viri bellatores cum hostium spoliis, quos in itinere obvios commissa pugna fuderant. Dux reliquis eminebat, operto plumis discoloribus capite, in morem diadematis : gladius pendebat ex humeris ; onerabant labia virides lapilli, nobilitatis insigne. Sacerdos venientem amplexus duxit in Sacellum, tympanis fistulisque læto strepitu concinentibus : mox ad multitudinem verba fecit, atque sacrum baptisma contulit nonnullis qui paratiores videbantur.

Annus Christi 1597 : Societatis 58.

Secunda persecutio in Japonia,

Annum hunc merito ducimus a secunda Religionis et Societatis in Japonia persecutione, quæ primos e Societate Martyres in sanctorum numerum relatos peperit. Cum in Japoniam venit* S. Franciscus Xaverius, rerum in ea potiebatur Quonquenindonus. Hunc summus bellicæ rei præfectus interemit. Successit Quonquenindono ejus frater Cavadonus, quem Nobunanga rex Voari cum regno exuisset, imperium Japoniæ invasit. Nec diu tamen tenuit, ab uno e suis

* *anno* 1549.

ducibus interfectus, relicto nepote parvulo; cujus tutorem aliquandiu se professus Faxiba, inter proceres Japoniæ præcipuus, dictus deinde Taicosama, nomen denique Imperatoris et potestatem usurpavit. Vir strenuus, solers, bellicis artibus præditus, religionis Japonicæ contemptor; æstimator æquus Christianæ et amator, quamdiu Christianos utiles firmandæ, quam per scelus occupaverat, potentiæ credidit. Simul atque ab eorum numero et auctoritate cœpit metuere, de illis perdendis serio cogitavit. Ac primo quidem ipsorum magistros et sacerdotes mulctavit exilio, anno MDLXXXVII, quam Ecclesiæ Japonicæ persecutionem primam appellavimus. Sacras ædes diruit, evertit sanctissima religionis monumenta; hominibus tamen pepercit, cædis et sanguinis abstinens : nunc abjecta veluti dissimulationis larva; vincula et cruces ad eos exterminandos adhibuit. Per quos veluti gradus eo crudelitas ambitiosi principis evaserit, paucis dabo. Hispanorum potentiam reformidans, vicinas Japoniæ Philippinas insulas adjicere imperio suo statuerat. Antequam autem armis rem gereret; litteris, legationibus, promissis, minis, insularum Gubernatorem aggressus est. Litteras vicissim ac legationem misit Gubernator; eaque occasione captata, Franciscani Japoniam ingressi sunt. Illos accepit Imperator tanquam obsides et sponsores clientelæ ac deditionis brevi faciendæ a Guberna-

qua ratione exorta.

tore; sic illi persuaserant interpretes Franciscanorum perfidi. Ubi vero Taicosama certis auctoribus cognovit, non modo Philippinarum Gubernatorem non cogitare de deditione, verum etiam parare arma; iram in Franciscanos vertit, a quibus delusum se putavit, et quos tanquam Hispanorum exploratores describebant Bonzii, ceterique Christianorum hostes. Hoc metu, his suspicionibus incensum temeraria vox Hispani navarchi ad maturandam religionis perniciem vehementius inflammavit. Navis oneraria, Sancti Philippi dicta, e Philippinis vela in Mexicum anno superiore fecerat. Vi tempestatis in Japonium ejecta littus, ibique dehiscens, spatii satis dedit, ut vectores enatarent, utque pulcherrimæ ditissimæque merces educerentur. Illæ dum ad Imperatorem deportantur (naufragorum enim bona Japoniæ lege ac more fisco sunt addicta), in iis reperta est ingens et picta egregie tabula geographica. Regius administer, cui data mercium istarum cura, miratus descriptum in suas regiones orbem; quærit a navarcho, quæ regna, et quorum Principum sint? Navarchus, varias orbis partes leviter indicasse contentus, Hispanorum suorum terras ab oriente sole ad occidentem porrectas, in Europa, Asia, Africa et America singillatim et splendide ostentat. Obstupuit imperatoris administer ac sciscitatur, quibus tandem artibus tantum terrarum Rex unus subegerit? « Armis, inquit, Navarchus, et

Hispani temeraria vox.

religione. Præeunt nostri Sacerdotes, et nobis viam sternunt. Populos Christianis imbuunt sacris, qui deinde in Hispanorum ditionem facillime rediguntur. »

Vocem temere missam ad Taicosamam detulit administer, cum ipsa tabula geographica. Nemo consequi verbis potest quibus furiis Princeps ambitiosus fuerit agitatus. Incusat se, quod legem diabolicam (sic enim amens ira vociferabatur) pridem non exstirpaverit, quod Europæos Bonzios vivere patiatur! Meacum et Ozacam ire lictores jubet, qui cunctos cum ipsorum domesticis et familiaribus in vincula conjiciant : donec renuntiet, quonam illos mactari supplicio velit. Hæc anno MDXCVI exeunte * gesta. Comprehensi sunt Ozacæ Franciscanus unus, tresque domestici. 8 *Decembr.*

Unus item e nostris Paulus Miki, cum duobus Evangelicæ prædicationis adjutoribus, Societatis candidatis, et in eam paulo post admissis : altero adolescente, Joanne Soan, qui *de Goto* quoque vocabatur, quia oriundus ex insula Goto; et litteris operam dabat domi nostræ; altero seniore Didaco, seu Jacobo Kisaï, qui ministeria domestica curabat. E Franciscanis qui Meaci degebant, quinque in lictorum tabulas relati, cum duodecim ipsorum partim familiaribus, partim alumnis. Erant in eadem urbe PP. Societatis Organtinus, et Rodericius, uterque imperatori notus et carus, quo annuente, palam et impune

Paulus Miki,

Joannes De Goto, et

Jacobus Kisai, cum Franciscanis capti, et

conspiciebantur; ceteri, clam et absque strepitu consueta exercebant ministeria, non nesciente quidem principe; sed, ut illic fit cum occultis exulibus, dissimulante. Quæsivit ab eo dynasta, Patrum studiosus, num Organtinum et Rodericium supplicio pariter affici juberet? num ceteros e nostris, qui ejus edictis morem gesserant, qui se tenebris et solitudine damnaverant? Ego vero, subjicit imperator, illis parcendum censeo; securos omnes esse verbis meis jube : istos Philippinarum legatos, qui doctrinam a me vetitam adeo publice confidenterque prædicarunt, in crucem tolle.

Hoc imperatoris edicto nostros, qui Ozacæ capti fuerant, dimitti liberos oportebat. Verum Ozacæ gubernator, sæpe objurgatus a Taicosama, quod Christianis faveret; metuensque, ne quid in suum strueret caput, si eos abire liberos pateretur, negavit se facturum : nec judicarunt amici Societatis interpellandum ea de re Imperatorem, ne illum fortasse dati aliis Patribus beneficii pœniteret. Igitur Paulus Miki, Joannes de Goto, et Jacobus Kisai Ozaca Meacum ducti, Calendas Januariis hujus anni, primum revinctis post torgum manibus, protracti sunt cum Franciscanis et eorum domesticis in Meaci plateam, ubi abscissa fuit singulis pars auriculæ sinistræ. Impositi deinde plaustris (erant omnes quatuor et viginti) per amplissimæ urbis vias ad ignominiam circumducti, ministro publico præeunte, et supplicii

Ozacæ, capite damnati.

Meacum deducuntur, et

causam in prægrandi tabula scriptum attollente : *Quia isti legem Christianam a nobis prohibitam prædicarunt, templa ædificarunt, nostris beneficiis abusi; supplicio illos affici jubemus, cum Japonibus, qui sacra illorum suscepere. Itaque in crucem tollentur Nangazachii. Eamdem legem iterum severe prohibeo. Qui faxit secus, cum tota familiæ plectetur.* Egressi Meaco, et per varias urbes longo circuitu, ad spargendum latius terrorem circumacti, Nangazachium denique pervenerunt Nonis Februarii. Ad sublevandas itineris molestissimi et longissimi ærumnas submissus fuerat a P. Organtino Christianus spectatæ probitatis et prudentiæ; itemque alter a Franciscanis, qui pariter illis quamcumque fas esset, opem ferret. Cum isti duo ultro citroque liberius commearent, offensi milites stare ambos jubent, et an Christiani sint, rogant? Affirmantibus injiciunt manus, et volentes lætosque ceteris adjungunt.

inde Nangazachium.

Duo alii fiunt Martyrii participes.

Parabat Nangazachii gubernator defigere cruces in urbis platea, plectendis facinorosis addicta; petierunt Lusitani et exorarunt, ut in colle statuerentur, qui prope urbem imminebat mari : eo consilio, ut ibi aliquando ædem Sacram Reginæ Martyrum ponerent. Statim in patente summi collis area defixæ sunt ordine directo cruces viginti sex, ternis inter se, quaternisve disjunctæ passibus. Id habent peculiare Japonum cruces,

Supplicii locus; crucis forma.

quod in extrema parte appositum est transversum lignum, cui stantis in cruce pedes incumbant. In feralem truncum nuda corpora non tollunt; fas unicuique suam retinere vestem, imo quam ornatissimam induere. Clavis pedes manusque non configunt, sed funibus, aut manicis pedicisve alligant : collum circulo ferreo, ac medium sæpe corpus, funestæ trabi adstringunt. Postquam erectum in cruce corpus stetit, tum carnifex lanceam adigit a dextro latere in sinistrum; interdumque alter a sinistro in dextrum. Hunc in modum felices victimæ, hastilibus momento transfixæ, inter pios lætosque Christianorum gemitus, quorum innumerabilis multitudo confluxerat, victrices animas cœlo, ab Angelis inferendas emiserunt.

Sanctus Paulus Miki.

Sanctus Paulus Miki, Japon, claro genere natus anno MDLXIV, et patre Christiano, litteris operam dederat in Seminariis Societatis; quam ingressus ætatis anno vigesimo secundo, Theologiæ studuit; utque ingenio et singulari facultate dicendi valebat, multos e suis popularibus viva partim voce, partim scriptis libris, ab errore ad veritatem, a vitio ad virtutem traduxit. In crucem sublatus, ex eadem, tamquam editiore suggesto, ad circumfusam attentamque multitudinem pro catholicæ religionis veritate verba fecit: mox orationem et oculos hinc atque inde ad gloriosæ mortis consortes convertens, sic eosdem illo, quo totus ardebat, igne inflammavit, ut ipsi

milites qui longius remoti stabant, propius ad audiendum accesserint, et ultimas morientis voces Christiana plebs descripserit, quibus ad excitandos animos, et in pietate confirmandos, uteretur.

S. Joannes De Goto,

S. Joannes Soan, quo nomine Pater ejus vocabatur, sive ut vulgo ipse appellabatur de Goto, in insula Goto lucem hausit, anno MDLXXVIII. A Christianis parentibus in disciplinam Patrum Societatis traditus et litteris excultus, elementa fidei, ac præcepta religionis tanta facilitate ac dexteritate percepit, ut idoneus fuerit judicatus qui eadem aliis explicaret: quo munere qui fungebantur, Dogici, sive catechistæ, vocabantur, eosque indolis bonitate, studio virtutis ac solertia ingenii præstare ceteris oportebat. Hunc Ozacæ locum et munus obtinebat Joannes cum lictores domum nostram irruperunt. Poterat se periculo subducere; sed Societatis, quam dudum in votis habebat fortunam, quantumvis gravem, experiri maluit. Igitur, convasata celeriter et in tuto collocata Sacrarii nostri, cujus gerebat curam, suppellectile, in proscriptionis tabulas referri nomen suum voluit, illudque, paucis diebus interpositis, Societati dedit. Cum proxime colligandus cruci paratæ foret, occurrit illi pater suus non dolore fractus et perfusus lacrymis, sed alacritate filii ac pietate lætus. Quem Joannes suavissime complectens monuit, ut in religionis virtutisque studio constantiam teneret. Cui parens : Vide tu quoque,

fili, ut forti constantique animo sis : pro Christo moreris. Sublatus in patibulum Joannes quam promiserat parenti fidem præstitit; nec alios, qui simul moriebantur, hortari desiit prius, quam trajecto pectore, Sacra JESU et MARIÆ nomina ingeminans, ad cœlestem coronam annos novem ac decem natus evolavit.

S. Jacobus Kisai.

S. Jacobus Kisai annos confecerat quatuor et sexaginta cum ad eamdem gloriam felici nece pervenit. Oriundus ex insula Niphone, Japonicarum maxima, filium e Christiana conjuge susceperat, quam ad cultum idolorum impie reversam, et in errore pertinacem, dimisit facto legitime divortio. Ipse conjugii vinculis solutus, totum se Deo ac Societati dedit. Rem familiarem curabat domi nostræ, aderat ad januam, subeuntes admittebat, iisque monita salutis in loco dabat. Mysteria Christi patientis recolebat frequens, neque ullum intermittebat diem, quin illa grata et memori mente tractaret. Ex ea meditatione hauserat miram moriendi pro Christo sitim, quam ut expleret, sanguinem in cruce profudit. Hinc patet, eum inter illos numerandum, quos in Societate *Coadjutores Temporales* vocamus, non item alios duos qui et instructi litteris, et ad Sacerdotium erant aliquando promovendi. Quod si *Frater* Paulus Miki nuncupatus interdum reperitur, inde est, quod nondum esset initiatus sacris Ordinibus, quos illic, nisi tardius, et post multas periclita-

tiones conferre moris non erat. Hanc Societatis de singulorum gradu mentem esse R. P. Mutius Vitelleschus publice declaravit, anno MDCXXVII, quo etiam tempore Urbanus VIII Pontifex Maximus solemnes illis honores, et cultum cœlitibus haberi solitum Apostolico diplomate concessit.

P. Martines Episcopus, in itinere moritur.

At Episcopus Japoniæ P. Petrus Martines Ecclesiæ sibi commissæ stragem cernens, et pejora in posterum metuens; Goam profectus est ad proregem Indiæ, ut communicatis cum eo consiliis rem Christianam in Japonia exitio prohiberet. Jam Malacam usque processerat, cum febri correptus interiit. Lusitanus erat ac Societatem ingressus anno MDLVI. Sacram scientiam non solum docuerat in scholis, sed etiam in templis, tam secunda omnium approbatione, ut illum Sebastianus, Lusitaniæ rex, sibi a sacris concionibus esse voluerit. Hunc in Africam secutus anno MDLXXVIII, et captus a Mauris durissimam servitutem anno toto pertulit. In Lusitaniam reversus, Indos adiit, et Provinciæ Societatis in India, mox Ecclesiæ Japonicæ præfuit. Nangazachium anno MDXCVI ingressus, domi Societatis eodem plane, quo ceteri Patres modo, parce, duriterque vixit, nihil ab iis, nisi majori humilitatis, paupertatis et aliarum religiosæ vitæ virtutum studio, discrepans.

Cum in describenda Sanctorum martyrum nece ac vita paulo diutius immorati simus, non

vacat objecta per id tempus Episcopo et Patribus Japoniis crimina, per Asiam, Europam, atque Americam disseminata, refutare. Quantum in iis criminationibus deprehensum fuerit invidiæ, falsitatis, et malevolentiæ, docent Annales nostri,* et omnia fuse refellit scriptor Italus in Japonia sua. * Nobis hic sufficiat testimonium P. Martini ab Ascensione, unius e viginti sex martyribus, qui cum recens venisset in Japoniam, Patresque cognitos non haberet nisi ex obtrectatorum sermonibus, epistolam de Societate sane asperam, et amaro tinctam felle scripserat ad amicum Lusitanum. Patribus deinde per otium et coram perspectis, nihil sibi faciendum prius putavit, quam ut quæ per se cognoverat amico nuntiaret; et priorem epistolam suam præciperet flammis consumi. Nec satis : a Patribus veniam inconsultæ credulitatis multo cum fletu petiit. Norunt Sancti mutare sententiam, et dicta perperam aut facta revocare; contra ac nonnulli faciunt, qui Sanctorum errata imitati, ab eorum humilitate et charitate longe absunt.

Commenta obtrectatorum.

* *P. V. lib.* 20. *N.*° 25.

* *Bartoli lib.* 2. *p.* 385.

Sanctis martyribus jungi non immerito potest P. Michael Urrea interfectus a barbaris, quos legem Christianam in America docebat. Cum varias Peruviæ partes utiliter peragrasset, expetiit Missionem ad Ciuncos, qui montium nativo defensi vallo, tum Hispanorum armis, tum religioni omnem semper aditum negaverant.

In Perua interfectus P. Urrea.

Accidit anno superiore, ut eorum quidam regulus cognoscendæ sanctæ legis studio, præcones Evangelii postularet. Oblatam occasionem arripuit P. Urrea, et a regulo peramanter exceptus, divini verbi semen attentis populi auribus animisque mandavit. A vicinis invitatus dynastis, progreditur ulterius, dumque idola passim et barbaras superstitiones insectatur, dejecit antiquum nescio cujus volucris simulacrum, quam pro numine gens colebat. Eo facto magnam subiit impiorum invidiam, qui nihil opinantem adorti et ex improviso, clavas ligneas impegerunt capiti, et semineccm humi straverunt. Haud multo post, percussoribus veniam a Superis postulans exspiravit, quinto Calendas Septembres hujus anni. Oriundus erat Fontibus, oppido Toletanæ diœceseos. Obedientia, humilitas, rerum infimarum ac sui despicientia, gradus ei totidem ad mortis fortunatæ gloriam exstiterant.

P. Joannes Gerardius in Anglia cruciatus,

Abstinuit hoc anno quidem Anglia fundendo cruore Societatis: cruciatibus inferendis non abstinuit. Luserat operam in P. Joanne Gerardio, qui e duabus columnis, octies intra paucas horas, ita suspensus divaricatis brachiis, et in ferreos annulos insertis fuerat, ut caro livida intumescens annulos tegeret, ac sanguis per imos digitos exsudaret. Cum pendentem animus ac vita pene ipsa deficiebat, demittebatur, et infusa in os ægre diductum calida, paulum respirabat : mox eidem

supplicio reddebatur. Languentem, luxatis artubus, rupto pectore, vixque spiritum ducentem cernens Berkleius, qui Londinensi Turri præerat, cohorruit, tortores increpitans, et paucis post mensibus tristem Turris funestæ præfecturam sponte abdicavit. Quantam esse oportuit immanitatem supplicii, cujus procurationem, ac ne aspectum quidem ferre homines crudelissimi potuerint!

iterum elabitur,

Elapsus Turri postea Gerardius Londinum se retulit; ibique catholicorum notas obibat domos, confirmabat nutantes, lapsos erigebat, sacramentis ægros valentesque recreabat, cum a famulo infideli proditus, in summum adductus est periculum. Inductis a proditore domum, ubi versabatur, militibus, effugere non poterat, quin caperetur, cum a Joanne Lillio, innocente dolo servatus est. Erat Lillius Gerardii adjutor in labore, et in omni periculo socius, e populo catholicus vir fortis et impiger. Is irrumpentibus domum satellitibus, interim dum Pater paratam petebat latebram, se obtulit seque ipsum esse Gerardium simulans, in carcerem abripitur. At brevi detecta fraude, tanto gravioribus tormentis excarnificatur, quanto molestius ferebant se delusos. Non defuit vero forti ad ferendum constantia, neque industria ad expediendam e carcere fugam, ex quo evadens, variisque pro religione periculis defunctus, denique in Societatem nostram adscriptus, in ea sanctissime obiit.

industria et fortitudine Lillii.

At P. Gordonus Huntlæus, benevolentia regis, et propinquorum auctoritate fretus, ausus est ineunte Junio, palam in Scotiam suam regredi. Statim atque cognitum est de illius adventu, prodiit edictum, ut comprehenderetur, et in vincula raperetur. Incolumem et liberum esse Rex jussit ea lege, ut ad tertium Idus sextiles e tota Scotia demigraret. Satis otii putavit sibi esse Gordonus in his paucorum dierum angustiis, ut aliquam hæresi plagam imponeret. Petit a Rege facultatem disputandi cum novæ doctrinæ magistris, coram ipso, regnique proceribus. Detrectare certamen tam splendide ac fidenter oblatum ausi non sunt erroris ministri. Respondent se adfuturos, ubi primum peracta Synodus nationis foret, quæ in proximum indicta diem erat. Ea vero usque ad tertium Idus Sextiles procrastinata fuit, qui dies Gordono præscriptus ad discessum erat. Tunc enim vero significarunt, dolere se, quod Gordono manere diutius, et sibi cum eo congredi non liceret. Hominum dolos rex sensit; irrisit sacerdos impavidus, et in Norvegiam delatus, inde Hafniam, denique Hamburgum venit, ubique catholicis, qui commercii causa complures ea loca frequentant, præsidia necessaria et solatia subministrans. Tres Societatis nostræ Patres, qui pio gregi eamdem e suis latebris opem ferrent, in Scotia reliquit Robertum Abircombium, Guillelmum Murdochum, et Alexandrum Macurræum.

P. Huntlæus et alii, in Scotia.

Scoticum Seminarium in Belgio collocatum fuit Lovanii; steterat hactenus Duaci; visa est ea civitas remotior a Scotia; tum Gallici belli tumultu importune perstrepebat.

Hibernica Missio.

Dum vexabatur Scotica missio, Hibernica est instaurata. Ostendebatur aliqua spes confirmandæ religionis in hac insula, Romanæ fidei semper studiosissima. Hugo Tiræniæ Comes, avita sacra defendebat armis felicibus. Erecti non pœnitendo successu catholici, postularunt Hibernos Sacerdotes, a Summo Pontifice, et a Societatis Præposito. Missi fuere Patres Jacobus Arcerus et Henricus Fitzsimon : quos utilem operam navasse apparet ex ejusdem Aquavivæ litteris, ipsos ob rem bene gestam laudantis simulque admonentis, ut locorum ac temporum meminerint, neque suscipiant quidquam, unde catholicis creari periculum possit.

In Brasilia prohibetur Servitus.

Ac in Anglia quidem, itidem ut in Scotia et Hibernia, id per Socios agebatur, ut ne religio prorsus rueret : in Indiis, ut augeretur ac floreret. Cum inter Brasilos magnam afferret Evangelico labori moram Europæorum avaritia, qui gravia imponebat onera indigenis, et iis tamquam mancipiis sæpe abutebantur; significatum est tertio decimo Calendas Apriles regium momenti longe maximi mandatum, quo prohibebatur, ne quis Lusitanus Brasilos abriperet in servitutem. Hæc enim injuria, hic metus

non solum indigenas alienabat a Lusitanis, verum etiam absterrebat a suscipienda fide, armabatque ad tutandam libertatem, quæ mortalibus vita carior est.

Societati favet Calecutensis Rex;

Non levioris momenti ad constituendam in India Orientali religionem fuit, fœdus a Lusitanis factum cum Zamorino, Calecuti rege, qui oræ Malabaricæ regulis longe præstabat. Prima lex hujus fœderis fuit, ut libera Christianæ religionis profitendæ potestas populo fieret, ac Societatem Jesu Rex acciperet : quod egregie præstitit ædificato in urbe regia templo, cujus ad fundamenta jacienda ipse humum aperuit. Sic introducta Societas est Calecutum, ubi regia Zamorini : Brevi tamen inde pulsa calumniis et odio Mahometanorum, quorum opes iis in locis formidandæ. Compressus paulo post impiorum furor, et anno sequenti Societas Calecutum est revocata.

Mogolum Imperator, non ita.

Eamdem in Patres benevolentiam præ se ferebat Mogolum Imperator : eis tamen auscultare cunctabatur instantibus, ut veritatem Christianæ religionis abunde cognitam sequeretur. Ipse ambitione prava delinitus, *duobus dominis servire,* contra præscriptum Evangelicum, fas tutumque putans, solem cum Christo adorabat. Vota etiam a populo sibi fieri patiebatur; nec adulatores audiebat invitus, qui testabantur, adhibitam feliciter ad sanandos morbos, qua pedes

abluisset, aquam. Sed Deus qui debitum sibi uni cultum cum nemine dividit, vesani Principis superbiam non una clade castigavit. Festum diem agebat in honorem solis, ipso Paschatis die hujus anni, cum subito demissum e cœlo fulmen regiam imperatoris, urbemque Lahoriam pervasit, et immensam opum vim, regum ac regnorum spolia tot annis congesta, momento consumpsit. Aurum argentumque liquefactum pretiosis fluxisse rivis per Lahoriæ vicos ferunt. Incendium excepit fames, qua compulsæ matres pueros in foro venales proponebant. P. Hieronymus Xaverius infelices puerulos emit quamplurimos, maxime, quos cernebat fame aut morbo brevi perituros : qui sacro in baptismate nuptialem adepti stolam, ad immortale cœlestis Agni convivium evolarunt. Ea charitas, non indigenarum modo, sed et Saracenorum præclaram de Christi religione opinionem confirmavit, adeo ut e finitimis urbibus liberos sacro lustrandos fonte Lahoriam deportarent. Cum vero ad cumulum publicæ calamitatis eamdem urbem sæva lues corripuisset, quæ ducenta hominum millia paucis mensibus substulit, cives multi et advenæ ante obitum salutaribus aquis respersi, æternos ignes evaserunt. Tot cladibus pertinacia imperatoris et impietas emendata non est.

Antequam huic anno clausulam imponeremus, placebat nonnihil delibare de vita rebusque gestis Patris Petri Canisii, quem Germaniæ

Apostolum appellare possumus; itemque Patris Josephi Anchietæ, Brasilorum Thaumaturgi, quorum obitus in hunc annum incidit. Sed cum de utroque conscripti exstent accurati, nec breves, commentarii, eos adire poterunt, qui cognoscere singula voluerint, aut Partem quintum Historiæ editæ, ubi vita eorum brevius exponitur : Anchietæ quidem, libro XXIII §. XVII. Canisii vero, et aliorum quorumdam e nostris virorum insignium, qui hoc anno decesserunt, libro XXIV §. XXVIII.

Marcus Anton. de Dominis.

Video hic a nonnullis quæri, an, et quem locum in Societate nostra tenuerit, qui ab ea dimissus hoc eodem anno fuit, Marcus Antonius de Dominis, temporis sui quædam quasi fabula, sed tragica. Undevicesimum agens annum sæculo nono ac septuagesimo, Societatem ingressus * humaniores disciplinas quadriennio professus est, biennio mathematicas : theologiæ studuit Patavii; Sacerdos creatus Brixiæ philosophiam ibi docuit; denique tertium Probationis annum obiit Romæ. Interim Joannes, Segniæ in Dalmatia, unde Marcus Antonius oriundus erat, Episcopus, ejusdem patruelis, a Præposito Generali petiit ut in patriam excurreret. Profectus in Dalmatiam anno MDXCVI licentius agere cœpit, quam religiosum virum decet; Episcopatum etiam Segniensem ambiens, demissionem a Societate postulavit, votisque simplicibus (necdum enim solemnem ediderat profes-

* *Mense Decembri.*

sionem), solutus est ætatis anno XXXVII. Hæc eo distinctius retuli, quod eum Societati nomen dedisse non nulli negaverint, ac præsertim Gregorius Letus in suo Theatro Britannico ad annum MDCXV. A nobis emissus, et ad Spalatensem subinde provectus Archiepiscopatum, novæ doctrinæ patrocinium suscepit et in Angliam anno MDCIII se contulit : mox Romam reversus anno MDCXII errores recantavit : sed cum deprehensus fuisset occulta cum hæreticis agitare consilia, in Molem Adriani conjectus, in ea vitam infelicem altero post anno clausit. Ejus ossa, tumulo eruta, eodem anno, in Campo Floræ, cum pestilentibus scriptis, fuere combusta.

An Dimissis alimenta debeantur?

Per eos dies datus est a nonnullis, qui desciverant a Societate, locus renovandæ veteris controversiæ, an iis, quos dimittit Societas, debeat alimenta? Pontifex examinandæ hujus controversiæ provinciam Cardinali Matthæio demandavit. Qui omnibus diu multumque perpensis : negotium hoc aliàs per summos Pontifices, et Congregationem S. Officii expensum fuisse retulit, ab iisque judicatum alimenta dimissis a Societate non deberi. Quibus auditis Clemens nihil mutandum in jure Societatis, et consuetudine respondit. *

* *Hist. S. J. P.* 5. *lib.* 25. *N.*° 64.

Domicilia stabilita.

Romanam Probationis domum insigniter amplificavit liberalitas Isabellæ Feltriæ-Roboreæ; et Neapolitanam Professorum domum fundavit. Idem hic annus natalis exstitit collegio Labacensi, in

Carniolia, Glacensi in Bohemia; Bisuntino in Burgundia, Ilerdensi in Catalaunia; Calissiensi contubernio in Polonia. Olisippone domus propria tironibus data est a Ferdinando Telle; nam antea in collegiis sparsim habitabant in ædium portione separata. Onnatense collegium Vergaram in Castella translatum est: Hildesianæ in Germania stationi nomen collegii tributum; Poloniæ Provincia in duas Polonicam et Lithuanicam est divisa. Sardiniæ quoque proprius Provincialis, titulusque Provinciæ concessus, cum antea Provinciæ Aragoniæ esset contributa.

Provincia Palonica et Lithuanica, et Sardiniæ.

Annus Christi 1598 : Societatis 59.

Triste per Angliam dissidium ab ipsis Ecclesiæ Ministris exortum est. Sacerdotes aliquot Angli, sese ab Religiosis segregantes, sodalitatem quamdam condere cœperant e solis sæcularibus Presbyteris constantem; eo fine ut catholicis omnibus in Anglia, etiam Religiosis imperitarent, nemo ut ipsorum injussu Confessiones exciperet, aut aliis ministeriis fungeretur quacumque esset præditus a Summis Pontificibus facultate. Latere non potuit Elisabethæ administros hæc coïtio, Religiosis Anglis ac præcipue Societatis Sacerdotibus nocitura. Dissimulare hæretici primum, dein ejus auctoribus favere statuerunt: non alia via certius et honestius deleri catholicam rem in Anglia posse rati, quam ipsorum Catholicorum

Triste per Angliam dissidium.

dissidio. Interim Sacerdotes fœderati cavebant diligenter ne quam suæ mentis et consilii suspicionem Summo Pontifici facerent; leges tamen quasdam a se huic recenti sodalitio præstitutas ostendebant, eximiam spirantes pietatem. Sed Clemens VIII quid ageretur intellexit e litteris nonnullorum Angliæ Catholicorum, qui sibi paulatim adimi facultatem quibus vellent peccata confitendi conquerebantur. Id ipsum apertius cognovit ex uno illorum Sacerdotum, qui Romæ deprehensus est, cum libro quem anno MDXCVII contra Societatem composuerant. Ille fœdus a perturbatoribus ictum, ejusque modos omnes juratus aperuit.

Remedium exitiali malo statim quæsitum. Placuit unum aliquem ex ipsismet Anglis Sacerdotem eligere, nulli religiosæ addictum familiæ, qui clero Anglicano præesset. Quæsitum deinde ac disputatum diu fuit, an illum ex Episcoporum ordine, an ex simplici Sacerdotum numero sumere conveniret? Omnibus in utramque partem agitatis, mediam inire viam placuit, et Archipresbyterum nominare, inferiorem Episcopis, ceteris Sacerdotibus superiorem, eique duodecim Assistentes addere, consilii capiendi et sublevandi oneris causa. Constitutum est ut iste Archipresbyter a Cardinali Angliæ Protectore legeretur, neque majoris momenti quidquam decerneret, nisi eo prius consulto. His ita compositis, renuntiatus est Archipresbyter Georgius Blakvellus.

Pulcherrimas de re tota in Angliam litteras, Pontificis mandato Cardinalis Cajetanus, gentis Patronus, nonis Martii dedit. Videbatur incendium plane restinctum. Exarsit autem postea vehementius, et in plures annos propagatum fuit : idque id breviter hic subjungemus.

Doluerunt aliquot Sacerdotes nullam sui rationem habitam in eligendis Archipresbyteri assistentibus. Romanam appellare sedem decrevere, unde illis Appellantium deinde nomen hæsit. Rationes congesserunt ab Hæreticis qui discordiam fovebant subministratas. Criminabantur Archipresbyteri nomen ; Blakvellum negabant jure ac legibus nominatum ; mandatum Pontificis malis artibus obtentum jactabant; nec rite denuntiatum, sed indicatum dumtaxat per litteras Cardinalis Cajetani. Suo in commentario Patres Societatis, Archipresbyterum, Cardinalem Protectorem, ipsam Sedem Apostolicam proterve insectabantur. Quas querelas Romam detulere per duos e suo cœtu. Auditi sunt, sed jussi parere Archipresbytero. Confectum Apostolicum diploma, sexta Aprilis MDXCIX, et munus Archipresbyteri confirmatum. Appellantes, communicato prius cum Reginæ administris consilio, deliberarunt cum Bancroftio, pseudo-Archiepiscopo Londinensi, qui palam illis aperte favere cœpit. Quatuor Sacerdotes jussu Elisabethæ vinculis emissi, Romam profecti sunt, quos Clemens Pontifex, anno MDCII remisit in

patriam jussos rebus prius constitutis acquiescere. Idem illis postmodum a Paulo V responsum est, quando post obitum Elisabethæ Romanam curiam iterum postulationibus tentare sunt agressi.

Fabula de percussore Nassavii Comitis.

Inter calumnias quibus appetita hoc tempore fuit Societatis fama, insignis fuit ab Hæreticis Batavis inventa, et per Europam promulgata fabula, de immisso a nobis ad interficiendum Mauritium, Comitem Nassavium, sicario, cui nomen Pannius. Ficti percussoris acta; narrationis falsitatem, excussam testimoniis et litteris publica auctoritate perscriptis civitatum Iprensis, Antverpiensis, Montensis, Duacensis et Bruxellensis; rei etiam gestæ veram narrationem qui novisse voluerit, et quoties a Calvinistis insulse recusa sit fabula: consulat Historiæ S. J. partem quintam, lib. XIV. §. 2.

P. Laterna interfectus a Calvinistis.

Non verbis et stilo, sed ferro et plagis Calvinistæ rem confecerunt cum P. Martino Laterna. Is regem Poloniæ Sigismundum III, in bello quod contra Carolum Sudermannum adornabat, comitatus in Suecia, gravi morbo tentatus est, adeo ut conclamatam ejus valetudinem medici affirmarent, nisi protinus in Poloniam se referret. Itaque navem, quæ Gedanum versus vela faciebat, conscendit tertio Calendas Octobris. Mare Balticum pererrans classis ejusdem Caroli Sudermanniæ ducis, Polonicam navem ut aspexit, incitato ad eam cursu fertur, circumsistit, expugnat. Quos-

dam e vectoribus Polonos hæretici milites invadunt spoliantque; addunt contumeliosa verba in catholicam Ecclesiam et Romanum Pontificem. Non tulit impiorum dicta sacrilega P. Martinus; elata voce increpat sceleratos, exprobrat hæresim, et crudelitatem. Illi facto in hunc unum impetu, calcibus, pugnis, maledictis obruunt; denique colligant post tergum manus, et multis vulneribus, ne posset enatare, debilitatum, in mare præcipitant. Polonis, qui eadem vehebantur navi, pepercerunt, adeo ut nemini dubium fuerit, quin odium catholicæ veritatis unica inferendæ illius defensori et laudatori necis causa fuerit. Neque censuerunt aliter oculati testes infandæ cædis; idque ipsum palam prædicavit Archiepiscopus Leopolitanus, a quo P. Laterna funebri laudatione cohonestatus fuit.

Societas Claudiopoli ejecta.

Eodem furore in Societatem universam conspirabant juncti Arianis et Calvinianis in Transsylvania Lutherani. Eorum conatus adjuvit Sigismundi principis inconstantia, qui seditionum domesticarum pertæsus, Transsylvaniæ principatum ea conditione Rodulpho Cæsari concessit, ut certam nummorum pensionem ab eo quotannis acciperet. Hanc pactionem convocatis ineunte Aprilis Transsylvaniæ comitiis significavit, mox in Silesiam secessit. Ibi solus, extorris, ignotus, abjectum temere principatum repetere constituit, ac reversus Claudiopolim, exeunte sextili a civibus

in integrum restituitur, ea præ ceteris lege, ut Societas Claudiopoli et Alba Julia pelleretur. Cessit invitus iniquæ postulationi, et Patribus litteras amplissimas innocentiæ testes dedit, palam professus illos, non aliam ob causam ejici, quam propter catholicæ religionis, quod profitebantur, studium.

Conditæ et stabilitæ Domus.

Post ereptum Turcis in vicina Hungaria Javarinum data est occasio collegii Varalliensis transferendi Salam sive Selliam, ubi quies a bellis major, et securitas sperabatur. Sellia postmodum relicta translatum est Tyrnaviam. * Ferdinandus Archidux fundando Collegio Græcensi et Academiæ oppidum Millestadium attribuit. Varsaviensem Professorum domum, et collegium Leopolitanum pia civium liberalitas excitavit. Montibus in Hannonia sedem annis jam duodecim Societas habuerat; scholas hoc anno primum aperuit. Eædem reseratæ sunt in collegio Pompelonensi, ubi clausæ biennium fuerant. Romæ Bellarminus a Pontifice impetravit, ut Seminariis Provinciarum Septentrionalium statas pensiones non modo exsolvere pergeret, verum etiam pernumeraret intermissas. Ante annos decem et septem designatum fuerat Collegium Anconitanum; compositis demum quæ inciderant litibus, constitutum fuit. Domus Professorum Beneventanæ jacta sunt fundamenta : Calaritano, et Panormitano, collegiis in Sardinia et Sicilia culmen impositum. Niciense

* *anno* 1615.

in Pedemontii limite, diu inter salebras jactatum, ex iis nisi anno MDCVI non emersit. Reversa etiam Societas est Calecutum, in ora Malabarica. Erat hoc oppidum in ditione regis Zamorini, a quo Mahometani extorserant ut Societatem regno suo ejiceret. Qua nocte Socii sunt egressi; nepos regis ab iis baptizatus est, quo allaborante, ac Lusitanis suffragantibus, Mahometanorum furor compressus est, et Patres in urbem revocati. Rex voluit licere suis omnibus nomen Christo dare; id qui facerent, eos pristinis in regno suo muneribus, et quolibet alio cum ceteris communi jure, frui jussit.

Res gestæ in regno Bengalano,

Quanto latius patent regna Bengalæ, Peguanum, et Arracanum, regnis Zamorini, Porcæ, aut Cocini, tanto amplior ex iis sperabatur fructus, si exitus consiliis respondisset. Jacet regnum Bengalæ circa Gangis ostia. Huc profecti Cocino ad quintum Nonas Maias PP. Franciscus Fernandius, Dominicus Sosa, Melchior Fonseca, et Andreas Bovesius, attigere quinto Calendas Junii Gullum, stationem Lusitanorum. Puerorum ingens turma obviam in ipso portu processit, enixe rogantium, ut edocerentur. Itaque statim est datus puerili scholæ moderator, quæ cura inter primas præconum Evangelii merito censeri debet. In lucem edita deinde brevis doctrinæ Christianæ summa in morem dialogi, quæ scribendi ratio utile dulci miscet. Data denique opera ætati provectiori, ægris morientibus, ca-

lamitosis, in templo, in carcere, in nosocomio. Dum in has incumbunt curas, invitati fuerunt a rege Ciandecani; nec non a Lusitanis biennium jam illic Sacerdote carentibus. Rex amplissimo diplomate assignavit vectigalia, quibus ædes Societatis cum templo ponerentur : simul potestatem populo Christiana profitendi sacra fecit.

in Peguano, Regnum Peguanum infra Bengalanum jacet. E difficili bello paulum respirabat, cum Patres Balthazar Sequeira et Joannes a Costa speraverunt fore ut diuturnis cladibus domitæ mentes facilius a vitiis, erroribusque revocarentur. Evertit hanc spem nova belli tempestas, in Regem Peguanum a duobus vicinis Regibus Aracano et Teguano concitata. Patres ad oram Coromandeliam, ubi spes messis paratioris ostendebatur, iter curasque verterunt. Est ora Coromandelia opposita regno Peguano; interfluit sinus maris ingens, in quem Ganges evolvitur. Hanc Asiæ partem obtinent varii reguli, Naikenos vocant. Præcipui sunt Madurensis, Gingianus, Tanjaorensis, et Bisnagarensis. Socii Gingium, regni Gingiani caput, delati, Naikenum salutarunt, qui ultro concessit potestatem ædificandi templi, et promulgandæ legis divinæ. Gentis Sacerdotes et Sacrificuli Jogues vocantur, in quos ea Christi vox recte cadit, illos objurgantis qui omnia etiam pietatis opera eo referunt, ut *honorificentur ab hominibus*. * Horum unum Patres conspexere

in ora Coromandelia,

Gingii,

* *Matt. c. 6.*

ferrea inclusum cavea, tam angusta, ut nec stare, nec jacere posset. Caveam cingebant lampades centum : præibant illustri captivo Jogues quatuor, anteambulones honorarii. Hoc ille carcere se incluserat, ut patientiæ laude plausuque populi frueretur. Multa concertatio fuit cum gentis doctoribus ac præsertim cum brachmane insigni, ad quem alii partes disputandi detulerant.

Gingio profecti Patres Christapatanum pro- Christapatani
perarunt, urbem novam a Rege Gingiano recens ædificatam. Advenarum promiscua multitudo instabat tectis fabricandis. Locum templo ac domui Societatis Rex assignavit. Relictus est P. Alexander Lenis, vir prudens, et vernaculæ linguæ peritus, qui opus urgeret. Inde Tanjaorem devenerunt, regiam Naikeni Tanjaorensis. Tanjaore,
Hunc alloqui non licuit, quia rebus humanis, ac negotiis nuntium remiserat, totus in mortis meditatione defixus. Sic solent vel senio confecti, vel vitæ tædio. Abdiderant se pariter in tenebras ac solitudinem uxores ejus septuaginta, concubinæ vero trecentæ, scilicet vivæ post ejus mortem comburendæ, gentis instituto. Madurensem Maduræ,
Naikenum alloquendi copia paulo facilius facta, in suburbana ejus villa, ubi suis quotidie jus dicebat, momentis tamen prope singulis interruptum. Quippe adstabat illi semper ad latus Brachmanum nescio quis, fracta et flebili voce nomen idoli Aranganadæ in aurem insusurrans.

Fessum assidua nominis ejusdem repetitione, excipiebat alter idem usque usque occinens. Adeo verebatur Princeps superstitiosus ne sibi vel temporis puncto memoria sui numinis excideret. Exemplum memorabile, quod Christianis hominibus veri Numinis oblivisci tam sæpe solitis merito pudorem incutiat.

In altera parte Asiaticæ intra Gangem peninsulæ quæ Persidem et Africam respicit, P. Nicolaus Pimenta, Societatis in India Visitator, egressus Cocino sub finem Januarii oppidum Punicale tenuit; ubi suavissime complexus est optimum senem P. Henricum Henricium, qui ab ipso S. Franc. Xaverio huic stationi præpositus, eam ab annis amplius quinquaginta non deseruerat. Magnam librorum copiam lingua Malabarica conscripserat, quorum ope finitimas erudiebat gentes, et Christianam plebem in suscepta fide confirmabat. Non minorem animo voluptatem hausit Visitator, cum ingressus Manariam insulam, quo die Christi necem sacris anniversariis Ecclesia recolit, personare pro populi planctu templum vidit, Sacerdote de servatoris cruciatibus verba faciente. Cum vero per idem tempus ad celebrem margaritarum piscatum, in angusto freto Manariam inter et Ceylanum, confluxissent hominum millia facile sexaginta, convenere pariter e vicinis domiciliis Patres, ad rem divinam faciendam, et subministranda Christianis animarum solita præsidia.

in Punicali ubi P. Henr. Henricius;

Solvens e Manaria insula Visitator Negapatanum venit, vocatus ab oppidanis Societati sedem offerentibus. Ea visa est magni ad religionem propagandam momenti. Quippe in hanc urbem ingens fit mortalium omnis sectæ generisque concursus. Inde contendit Meliaporam, sive Fanum S. Thomæ, in eoque Seminarium erexit, in quo Badagarum juventus institueretur. Late dominatur in hoc tractu Rex Bisnagaris, seu Narsingæ, qui se in suis diplomatibus appellat Regum Regem, et Regum Deum, Sponsum Bonæ fortunæ, dominum Orientis etc. Sane olim ejus regnum totam illam Asiæ partem, quæ porrigitur paulo infra Goam ad Ceylanum usque, complectebatur. At varii Principes et reguli excusso jugo, potentiam illius et oppida inter se partiti, eum angustius regnare coëgerunt. Excepit Patres regio apparatu et munificentia, deque ipsorum instituto, moribus, religione multa cupide percontatus, oppidum ubi Societatis domus conderetur, et vectigalia, concessit : populo amplissimam fecit potestatem Christiana suscipiendi sacra; id qui facerent, iis pristinos honores et bona retinendi jus esse voluit. Cum vero legationem ad Proregem Indiæ adornaret, duos e Societate oratori suo comites junxit. Alium a latere suo discedere passus non est, in bello quod contra rebellem subditum parabat. Acie congressus, perduellem vicit, et arce munitissima depulit; in qua Societatis sacerdotem

Meliaporæ, ubi erigitur Seminarium,

et in regno Bisnagar.

manere jussit, ut præsidiarios milites erudiret. Benevolentiam Regis in Socios æquabat Regina, institutque summopere ut sacram ædem Pallecatæ ponerent, quod oppidum Fano S. Thomæ vicinum egregio portu commendatur. Brevi constructa fuit, frementibus nequicquam Mahometanis et Brachmanis. Rex multum cum Patribus, ac libenter erat, cumque delectari pictis imaginibus videretur, misit ad eum aliquanto post ex urbe Præpositus Societatis unum e nostris Fratribus picturæ non rudem. Captabant Socii occasionem explicandi religionis mysteria in imaginibus expressa, et doctores gentis eliciendi ad disputationem, idque Rex peroptabat. Illi vero certamen omne detrectabant, inscitiæ conscientia, et innato fastu. Sæpius invitati responderunt religionem gaudere tenebris, ac silentio; ejus arcana evilescere, cum vulgantur. Eadem populus omnis ignorantia laborabat. Hærebat attonitus ad mentionem unius veri Numinis, ad æternitatem mercedis, aut pœnæ; nihil tale auditum a se admirans et dolens. Nec minus dolebant Patres vicem infelicis populi, in indole satis bona. Quis enim tot animas perire aut docentium penuria, aut culpa, non doleat? Ut autem populo pariter ac proceribus prodesse, etiam sine interpretibus, possent, ad linguam tum vernaculam, tum elegantiorem, qua nobilitas utitur, perdiscendam animum appulerunt. Inter hæc Malacam venerunt Oratores Regis Camboiæ,

cujus regnum hinc Siamum, inde Cocincinam attingit, cum mandatis ut secum aliquot Societatis Sacerdotes adducerent. Promissi sunt, et Missionis præclaræ spes libenter accepta.

In Japonia P. Cerqueira Episcopus.

At in Japonia dubiæ res, et exitio proximæ inter exiguam spem metusque gravissimos fluctuabant. Episcopus Japoniæ P. Petrus Martinez profectus in Indiam ut remedium aliquod a Prorege opemque peteret, morbo in conspectu Malacæ perierat, anno superiori. P. Ludovicus Cerqueira, successor illi designatus, Japoniam cum P. Valignano ac novem Sociis ingressus est. Cavens ne quam Imperatori, post cæsos recens tot martyres, sanguinem adhuc anhelanti daret ansam ad sæviendum, censuit deserendum Arimense Seminarium. Ex eo dimissi centum adolescentes, flos Japonicæ nobilitatis; pars redditi sunt parentibus suis, pars in ædes insignium Christianorum deducti. Occlusum pariter Collegium Amacusanum. Sociorum qui centum et quadraginta numerabantur, alii alio diverterunt, plerique mutato vestitu. Nangazachi Gubernator audiens adventare Taicosamam, qui bellum in Coreanos parabat, inde ad Sinas transiturus, ædes Societatis in Ximo et vicinis insulis, diruere festinavit. Amplius centum sunt eversæ. Ad infortunii cumulum Franciscani duo e Philippinis Nangazachium appulerunt. Statim fuere agniti; unus nescio quo pacto elapsus est fuga, alter in

Societatis angustiæ.

vinculis inedia confectus fuisset, nisi Provincialis Societatis illius inopiam utcumque sustentasset. Nangazachii gubernator, multa prece per Japonum proceres Christianos oratus, ægre annuit ut Imperatorem de Franciscanorum adventu admoneret : latere tamen diu res tanta non poterat, neque magistratus eam omnino celare ausus fuisset. Actum igitur de Japonica videbatur Ecclesia. Constabat enim Imperatorem, cognita re, in omnes Christi cultores, barbaræ crudelitatis exempla editurum : Deus, penes quem sunt omnium arbitria regnorum, et regnantum vitæ, populum suum respexit.

Obitus Taicosamæ.

Incidit in morbum Taicosama exeunte Junio, jacuitque Nonis sextilibus ita viribus defectus, ut ejus salus deplorata censeretur. Tunc Gicasum, seu Daifum, inter Japoniæ regulos facile principem, evocans, filium illi suum Fideyorum, sexennem puerum, et Japoniam, commendavit : additis novem proceribus, qui communi cum ipso potestate consilioque publicam rem gubernarent. Deinde pacem cum Coreanis et Sinis componi jussit, omnibusque provisis quæ ad firmandam Imperii tranquillitatem, tuendamque inter ejus gubernatores concordiam pertinere judicabat, de immortalitate post mortem paranda cogitavit, et qui homo jam nullus erat, Deus esse, atque inter patrios Deos reponi voluit. Risere Christiani fungum Numinis, et ex illo

uno reliquos Japonum Deos æstimarunt. Aditus ad eum facilis P. Joanni Rodericio semper patuerat. Ad morientem admissus, sana consilia misero Principi, sed frustra suggessit. Qui seras tandem, at justas scelerum et Christiani Sanguinis, quem primus fuderat, pœnas dedit XVII Cal. Octobris, cum annos quatuor et sexaginta vivendo explevisset.

Renovata controversia de Auxiliis divinæ gratiæ.

Hoc anno renovata est, et agitari cœpta Romæ controversia inter Dominicanos et Societatis Theologos de Auxiliis divinæ gratiæ. Hæc illius famosæ concertationis secunda quasi ætas et epocha est, cum questio generalis de Gratia sufficiente et efficaci, quæ vocata Romam fuerat anno MDXCIV, traducta est ad particularem causam et examen libri P. Molinæ, et inter privatos doctores per annos quinque agitata, nempe ab anno MDXCVIII ad MDCII, quo ipse Pontifex illam per sese cognoscere voluit. Quinque istos annos sub uno quasi aspectu ponere incipiemus, anno proxime sequenti MDXCIX, quo calere certamen cœpit. Breviter tamen singula et strictim attingemus, ut ratio compendii postulat; omissisque disputationum odiosis ambagibus, quas refricare non licet, historiam puro simplicique filo texemus: ad eamdem redituri anno MDCII, cum veluti collatis signis et justo prælio dimicatum est, ipso Christi Vicario non spectante tantum, sed etiam aciem quasi ordinante. Eo mortuo recruduit cer-

tamen, anno MDCVII : at jussis, paulo post certantibus utrinque arma deponere, diuturnum bellum compositum est.

Annus Christi 1599 : Societatis 60.

Cardinalis Bellarminus

Insignem hunc annum facit P. Robertus Bellarminus, cooptatus in sacrum Cardinalium collegium. Clemens VIII illum Romam e Neapolitana quam administrabat Societatis Provincia vocaverat, ut Pontificii theologi locum impleret, quem Cardinalis Toletus paulo ante demortuus obtinebat. Quinto Nonas Martias eumdem Pontifex, inter alios quos Romana decoraret purpura, nominavit, hoc addito elegio : *Hunc eligimus quia non habet parem in Ecclesia Dei quoad doctrinam; et quia est nepos optimi et sanctissimi Pontificis Marcelli II.* Vocatus ad purpureum galerum capessendum, cum excusationem profusis lacrymis ordiretur, interpellatus est ab ipso Pontifice, jussusque non sine gravibus pœnarum Ecclesiasticarum minis honorem oblatum accipere. Hac voce conterritus, quippe tam obsequii tenax, quam honoris fugitans, conticuit. Ceterum dolori et gemitibus, quod licebat, non pepercit, vix ut mærentem consolari potuerint amici; unusque ingemisceret, plaudentibus ceteris, ac palam gratulantibus homini de re Christiana tam bene merito repensam esse mercedem. In quo non minorem eligentis Pon-

tificis, quam ejus qui eligebatur gloriam fuisse, Card. Petrus Carafa non dubitabat affirmare. Idem profitetur egregius scriptor, et in prodendis memoriæ gestis virorum illustrium præclaram doctrinæ ac pietatis laudem consecutus, Joan. Nicius Erythræus : *Duos* inquit, *singulari ingenio, sanctissimis moribus et incredibili eruditione viros, hæc nostra ætas in amplissima Purpuratorum Patrum collegio conspexit, quorum utrumque plus ad purpuram splendoris attulisse, quam ab ea accepisse est in confesso apud omnes, nimirum Robertum Bellarminum, et Cæsarem Baronium.* * *tom. I. n.° 47.*

Claudius Aquaviva Præpositus Generalis Societatis conatus omnes adhibuerat ut Clementem ab eo consilio deduceret. Ubi vidit illum perstare in sententia, fretus virtute Bellarmini, et ejus mærore lætus, scripsit ad omnes Societatis provincias, nihil a se, cui tradita legum nostrarum esset custodia, nihil a novo Cardinale, prætermissum fuisse, quo sacro honoris onus excuteretur : confidere se, quæ Bellarmini virtus erat, fore ut in eum detrimenti nihil; plurimum vero utilitatis et ornamenti in Societatem, et Ecclesiam universam redundaret. Respondit expectationi Aquavivæ Bellarminus, nihilque de pristino vitæ, quem ad eam usque diem in Societate tenuerat, cursu mutavit; nullas collegit opes, aut augendæ rei suæ familiari, aut locupletandis con- qualem se in ea dignitate præbuerit.

sanguineis; nihil muneris a viris Principibus et amicis, ultro etiam offerentibus, accepit; parcimonia, frugalitas, modestia singularis, in cultu corporis, in expensis mensæ, in reliquo dignitatis apparatu. Jejunium ter in hebdomada; tum toto Dominici adventus tempore non lenius quam in ipsa Quadragesima, sæpe oleribus vesci, erogare pauperibus non solum supervacanea, verum etiam necessaria; religiosam ubique austeritatem, et rerum caducarum nobilem contemptum sectari, adeo ut non satis splendide locum insignem tueri quibusdam videretur. Notum id Pontifici. Quare in omnem imminebat occasionem, instante potissimum Baronio, conferendi novo Cardinali, muneris alicujus, quod ita rem ejus familiarem augeret, ut simul ejusdem pietati, et acerrimo juvandarum animarum studio, campum ingentem aperiret. Accidit opportune ut supremum diem obiret Archiepiscopus Capuæ. In ejus locum, licet admodum reluctantem, Bellarminum substituit
* *anno* 1602. Pontifex * et a se consecratum pallio insignivit.

Priusquam Archiepiscopalem infulam sacræ purpuræ Bellarminus adderet, insigne documentum hoc anno dedit suæ erga Societatem, quam, ut matrem optimam observare perrexit, benevolentiæ; cum elaboravit, adnitente Cardinali Baronio, ut ejus fundator in Beatorum numerum solemni ritu reponeretur. Agebatur anniversaria lux, qua Parentis optimi obitum Societas recole-

De referendo inter Beatos Ignatio agi cœptum.

bat. Rogatus Bellarminus ut verba de illo privatim in Patrum consessu domi Professorum faceret, disseruit ea qua solebat eloquentia, plena succi et roboris, notas explicans voces: *Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum.* Ubi finem dicendi fecit, quæsivit Cardinalis Baronius, qui aderat, cur Patres nullam proposuissent imaginem Ignatii, quem publica veneratione dignissimum censeret? Objicientibus religionem Patribus, et metum ne Sedis Apostolicæ judicia prævenirent: vos vero, subjecit Baronius, isto solutos metu volo! simulque Beati Patris effigiem postulat, veneratur, supra tumulum ejus appendit; procidentibus in genua cunctis qui aderant, et arcano quodam instinctu ad venerandum concitatis, præeunte Baronio, et humum tumulo subjectam piis osculis libante. Nec iis contentus, quid egisset prædicavit palam in Sacra Rituum Congregatione, quæ triduo post, nempe tertio Nonas Sextiles hujus anni habebatur, suumque factum veteribus exemplis et recentibus confirmavit. Movit auctoritas tanti viri sapientissimos Cardinales, conditoque protinus decreto, datum est negotium Pontificio in Hispania Nuntio, et delectis præsulibus, ut de vita Fundatoris Societatis, sanctitate, famaque miraculorum cognoscerent, et ad Summum Pontificem referrent.

Dum Ignatio novus in terris honor comparatur, Societas ab eo constituta varie amplificata est.

Domicilia variis in locis posita,

Winocibergenses cives in Belgio non procul Dunkerca siti, initium dudum expetiti collegii fecerunt. Similis ac diuturni voti ne statim compotes fierent Atrebatenses, steterat per Episcopum aliquandiu a collegio abhorrentem. Victus civium clarissimorum precibus, annuit ut aliquot Societatis homines stationem Atrebati ponerent, quasi ad periculum faciendum. Qui cum populo egregie satisfacerent; Episcopus illorum Instituti ratione coram perspecta, quam ex invidorum aut malevolorum sermonibus tantum cognoverat, collegium moliri cœperat, cum morte sublatus est. Illud ædificandum recepit Abbas S. Vedasti, neque promptius promisit, quam magnificentius præstitit. Parmæ in Longobardia, cum institueretur Academia quæ studiorum universitatem complecteretur, datus est in ea Societati locus. Collegium Camberiense anno MDLXV natum, et in cunis adhuc veluti constrictum, ex iis eductum a Duce Sabaudiæ, ac veluti renatum est, conditis templo, ædibusque, ad obeunda gymnasii munia necessariis. Posita statio temporaria Tononii, qua in urbe, agri Caballiaci primaria, ad locum Lemanum, Dux idem collegium exstruere cupiebat, propugnaculum adversus hæresim regioni imminentem. Gerundæ in Catalaunia Lyceum Jacobus, Agullanæ Ecclesiæ Gerundensis Archidiaconus, a se suisque fundatum aperiri postulavit. Jacta quoque fundamenta collegiorum Urgellæ in eadem

Catalaunia; Oscæ, in Aragonia; Frexenalæ, in Bætica; Guadiciæ, necnon Singiliæ, sive Anticariæ in regno Granatensi; Phari, in Algarbia; Lemovicensis et Biterrensis in Gallia. Denique Seminarium diœcesanum Pultoviense fundatum ab Alberto Baranowski, Episcopo Plocensi, et datum Societati fuit.

vastata in Transylvania

In Transsylvania publicæ rei perturbatio in religionis, et collegiorum aliquot perniciem, redundavit. Sigismundus Princeps Transsylvaniæ, resumpto quem anno superiore abdicaverat principatu, collegium Albæ Juliæ Societati reddidit. Mox tamen fractus terrore belli, quod Cæsar Transsylvaniam ex fœdere sibi reddendam reposcens parabat, cessit Transsylvania, illamque Andreæ Bathorio Cardinali patrueli suo tradidit, qui a Michaele Valachiæ principe victus, dum e prælio fugit, obtruncatur. Michael bellum hoc susceperat, ut gratificaretur Cæsari (sic enim prædicabat) ipsique Transsylvaniam ereptam Andreæ Bathorio restituerat : reipsa, ut eam retineret sibi. Albam Juliam ingressus, prohibere non valde studuit, aut parum potuit, ne milites partim hæretici, partim Græcanico Schismate, cujus ipse acerrimus defensor erat, infecti, depopularentur in sacra pariter ac profana : itaque collegium Albæ Juliæ ab iis devastatum, et fœde spoliatum est : neque Claudiopoli collegium cladis immune fuit.

Conatus in Scotia,

Non erat Jacobus Scotiæ rex, in comprimenda hæreticorum audacia fortior. Pellendum e Scotia curaverant P. Jacobum Gordonum, ac illum more suo jactaverant, disputationis metu profugisse, et Principis ac Senatus oculos judiciumque declinare. Indignissimus rumor et falsissimus strenuum veritatis defensorem impulit, ut remigraret in Scotiam, ac modis omnibus adversarios, ad certamen quod illis sæpe obtulerat, eliceret. Rex vocatis proceribus, quæsivit, quid de Gordono sentirent? Hi culpa vacare censuerunt, quia de una veritate investiganda sollicitus, Regem certaminis præpositi testem appellaret. Invitati ad pugnam publice conserendam doctores Calviniani, ac diu tergiversati, tandem responderunt Gordonum nimis pertinacem esse, neque ad amplectendam veritatem adduci unquam posse. Nonnulli tamen se congressuros polliciti, Rege annuente, hora constituta, collectis, et sedentibus omnium ordinum auditoribus, expectati perdiu, nusquam apparuerunt. Gordonus privatim catholicos ad constantiam adhortatus, oblata multis errantibus luce fidei, post quinque menses in Scotia consumptos, in Daniam, ubi jam fructus colligere non pœnitendos cœperat, se retulit. Catholicum interim gregem tuebantur e latebris iidem Societatis Sacerdotes tres : Robertus Abircrombius, Guillelmus Murdochus, et Alexander Macurræus.

Tres pariter e nostris in Hibernia versabantur Jacobus Arcerus, Henricus Fitzsimon, et Christophorus Helivodius. Hic quia solemne sacramentum, quod supremæ jurisdictionis Angli vocant, recusabat edere, in carcerem Wisbicensem deportatus in eo quadriennium exegit. Helivodio subrogatus P. Richardus Fildius, delitescere diu non potuit, concurrentibus ad ejus conciones, colloquia et consilia catholicis juxta et hæreticis. Hac admoniti fama concursuque irritati exploratores, capto vincula incejerunt. Nec ita multo post P. Jacobus Arcerus Romam accitus est a Pontifice, ut ipsum de statu religionis in Hibernia edoceret. Clemens catholicorum constantia delectatus, P. Ludovicum Mansonium ad eos consolandos et confirmandos legavit. in Hibernia,

Quam erat Anglorum in errore pervicacia vituperabilis, tam erat miserabilis Estonum et Lotavorum cæcitas. Illi partem Livoniæ colunt, et in turpissima rerum divinarum ignoratione tunc consenescebant. Hanc depellere Patres Poloni, quamvis id enixe cuperent, nondum potuerant, ob linguæ regioni propriæ difficultatem. Reperti demum sunt, qui obice illo feliciter victo, noctem teterrimam discusserunt, eo facilius quod recepta de Moschis Livonia majorem facultatem Polonis dabat eo commeandi. in Estomia etc.

Petrus Buzelius Vesaliæ; Martinus Smigletius Vilnæ; P. Petrus Cotonus Gratianapoli, alii aliis

in urbibus et arma errori detraxerunt, et novum pietati decus addidere. Instituta sunt Venetiis sexta quaque feria, per quinque horas perpetuas publicæ preces in templo Professorum, in honorem plagarum quinque Christi Domini. Prima hora designati cives conveniebant in ædem sacram, ubi propositum adorantibus patebat Sanctissimum Sacramentum : secunda hora succedebant alii; itemque alii tertia, et consequentibus deinceps ad eumdem modum. Aderat Sacerdos ante majorem aram, et nunc stans, nunc genibus nixus certa proponebat ad meditandum capita, proposita explicabat, fundebatque latius, ut viam quasi complanaret. Subjiciebat idoneus precationes, quibus peractis, sumpta ex aræ tabernaculo, et ducta alte in modum Crucis super populum adorantem sacra hostia, bene ipsi precabatur. Hoc institutum deinde manavit ad alias urbes ac provincias. Sed horas quinque in unam contrahere placuit, ut pluribus liceret convenire, quibus vacui temporis tantum non erat. Finem huic piæ exercitationi proposuerunt ejus auctores, ut qui eam frequentant, mortem opportunam in Domino consequantur : quo beneficio majus nullum Christianus vel sibi quærere, vel optare aliis potest.

Synodus Diamperæ.

Non levis ad religionem in India confirmandam momenti fuit Synodus Diamperiensis. Huic Synodo habendæ dederunt causam Christiani, quos Thomæos vulgo vocant, in extrema parte

peninsulæ Asiaticæ, quæ ad promontorium Comorinum vergit. Ab Apostolo Thoma, ut gloriantur, instituti, desciverant paulatim ad errores Nestorianos, ab iisque avelli nulla ratione poterant. Id cum ex Patribus, qui oram Malabaricam excolebant, cognovisset Alexius Menesius, Goanus Archiepiscopus, nihil præstabilius faciendum judicavit, quam ut, vocata in concilium gente, errores impii publice damnarentur. Indictum est in duodecimum Calendas Quintiles. Primis sessionibus edita Fidei Catholicæ professio ab omnibus ex forma Concilii Tridentini : excussa deinde dogmata, in quibus Thomæorum inscitia decerrabat : demum ecclesiastica disciplina constituta. Post nonam et ultimam sessionem Acta Concilii et Decreta promulgata sunt. Strenuam ubique operam Patres, et concionibus palam, et colloquiis privatim atque adhortationibus navaverunt. Adeo ut Archiepiscopus, datis ad P. Nicolaum Pimentam, Indiæ Visitatorem, litteris amplissimis, eorum labores multis laudibus extulerit.

Res gestæ in Mogolis Imperio.

Idem fere de Patribus prædicabat Akebarus Mogolum Imperator : qui tamen ita favebat religioni Christianæ, ut eamdem palam profiteri cunctaretur. Pater Hieronymus Xaverius captato tempore illum obsecravit, ut aures tandem Deo vocanti instantique præberet. Id quidem ago, subjecit imperator, et agam in posterum accuratius; postquam bellum, quod instat, confecero.

Neque tamen est, cur vos laboris temporisque pœniteat. Nemo antequam huc subiretis, audebat Christum Deum apud Mogolos nominare, quin capite dictum lueret; nunc id prædicare vobis, et aliis audire passim ac tuto licet. Ita se rem habere P. Xaverius agnovit, et magnas idcirco principi gratias egit : perrexit tamen orare, ut tantis erga religionem Christianum promeritis cumulum, quem petebant, adderet, seque salvum ipse vellet. Sane florebat in dies magis religio, nihilque deerat ad illius splendorem, nisi exemplum Principis. Natalitiæ Christi feriæ insigni pompa celebratæ per dies viginti, proposito ad venerationem infante Deo, et præsepi Bethlemico. Ad hoc spectaculum tanta omnium ordinum ætatumque frequentia confluxit, ut ædes sacra quotidie tria quatuorve hominum acciperet millia, redderetque. Administratus etiam in urbe imperii primaria baptismus apparatu magnifico. Processerunt per viam floribus instratam catechumeni, palmam singuli gestantes manu. Stipabant baptizandos candida conspicuos veste Christiani antiquiores : tubæ tympanaque perstrepebant.

Principes septem regni Decani baptizantur.

Plus admirationis habuit gloriæque baptismus septem principum regni Decani, quorum industria et virtus defendebat, contra innumerabiles Akebari copias, arcem permunitam. Ea tandem dolo victa captaque, septem illos principes, quia pertinacius restiterant, imperator

mucltari publice verberibus jusserat. Patrum tamen precibus placatus, illos ignominia liberatos ipsis donavit. Quos P. Pinierus domum nostram ductos erudivit; omnesque Christiana libertate servos et filios Dei fecit. Ex eadem arce plerique Lusitani servati, et Goam annuente Imperatore sunt delati. Nec pauci e Saracenorum impura colluvie salutaribus purgati lymphis, præsertim infantes. Eorum unus in sterquilinium abjectus a parentibus, et adductus ad sacerdotem, e stercore ad immortalis regni principes felici morte transiit.

Non absimile quiddam contigit P. Francisco Fernandio, qui præter cetera in regno Arracano bene ac feliciter ad salutem proximorum, Deo juvante, gesta, illud peculiari cum voluptate scripsit, in eoque pretium operæ ingens a se factum commemorat, quod infantem nudum, jacentem in vico, et morientem baptizarit. Næ, ille sapienter et vere hoc ingenti apponebat lucro! Quantum enim est animan vel unam, pretium divini sanguinis, cœlesti regno intulisse! Orta in regno infelici bella Dominicam vineam devastarunt, quæ cæso post biennium præcipuo ejus colono P. Fernandio, succisa penitus est : dum in imperio Sinensi feliciore in dies proventu succressebat.

Domicilium jam habebat Societas in urbe Xaocea; itemque alterum Nanchami. Ut Imperatoris auctoritate utrumque stabiliret, Pekinum

Res Sinicæ.

profectus erat P. Matthæus Riccius, utque sedem in hac imperii primaria civitate, siquis aditus daretur, poneret. Verum nemine invento, qui peregrinum doctorem producere in aulam auderet, relegebat iter mœstus, et Nankino transibat, inde quoque se depellendum nihil dubitans, ob eamdem invisæ peregrinitatis causam. Ecce autem nova rerum in imperio facies, et incredibilis mutatio! Moritur Taicosama Japoniæ rex, bellum quod Sinis inferebat, confectum nuntiatur : Nankinenses metu soluti ludis epulisque indulgent; nulla de peregrinis sollicitudo, suspicio nulla. Riccius utendum tempore arbitratus, ad sedem Nankini collocandam animum et curam adjicit. Est enim ea civitas uno Pekino minor, si dignitatem spectes; major, si capita civium numeres. Regum ipsa quoque domus præsertim hyeme, quia calidiore utitur cœlo, quippe decem admodum gradibus a Tropico distans, et ipsa vox Nankin aulam Australem sonat, ut Pekin Septentrionalem. Imperii Sinici centrum quoddam est; quo derivatur et confluit, quidquid reliquæ Provinciæ deliciarum ac splendoris habent. Huc Mandarini magistratibus perfuncti se recipiunt, huc eruditi propter bibliothecarum copiam et elegantiam vernaculi sermonis, huc artifices propter artium omnium decus, quibus illic honor eximius nec sterelis est. Celebritatem urbis auget maris vicinia, tum opportunitas fluvii Kiami

Nankini sedes miro modo parta.

cui est imposita, cunctorum qui Sinam alluunt maximi. Hæc omnia Riccium accendebant, cur stare Nankini percuperet. Sed domum reperire, quam publico jure, annuente magistratu, Societas in perpetuum possideret, hoc opus, hic labor erat! Enimvero divinæ providentiæ mirifica vis apparuit. Lustranti urbem Riccio domus ingens occurrit, in edito et percommodo loco, multorum hominum capax. Miratur esse vacuam et inutilem. Quærit, quid rei sit? Narrant horribiles in ea formas conspici, discurrere nocturnos hostes, diram lemurum cohortem : male mulctari, quicumque pedem intulerit. Sacerdos metus inanes contemnens, Mandarinum, a quo fuerat exstructa, convenit, seque emptorem offert. Ille, ut erat vir probus, vitium ædium candide aperit ac periculum exponit, cujus, inquiebat, testis locuples ipse sum. Riccius Deum colere se respondet, cujus nutum Superi pariter et inferi audiant; se ingressurum ædes, si annuat, quietasque possessurum. Confidentiam admiratus Mandarinus ædes vili vendit, confectisque rite tabulis Riccio, et Patribus venturis habendas in perpetuum tradit. Ingressus funestam domum Riccius exeunte Aprili, adhibet preces ab Ecclesia contra vim Avernalem usurpari solitas, locum omnem aqua consecrata lustrat. Diffugiunt ferales larvæ : pax, somnus, tranquillitas summa succedunt. Populus accurrens orta luce, ubi rem accepit,

obstupuit scilicet, Deique Christianorum nomen ac potentiam suspexit. Manavit longe fama, et magnam divinæ legi gratiam conciliavit, magnam Riccio auctoritatem; qui non contentus vim Tartaream ædibus propulfasse, nisi eamdem a civium animis abigeret, statim inferre sermonem de religione, insitasque genti opiniones cœpit convellere. Concurrebant ad eum audiendum splendidissimi quique genere, litteris, dignitate. Pendebant ab ore nunc explicantis arcanas naturæ leges, nunc sacræ doctrinæ penetralia reserantis; et undique captantis ansam ad mentes Evangelio præparandas.

Plurimum utebatur auctoritate ac scriptis Confucii Sinarum antiqui philosophi, quem etiamnum ut gentis doctorem ac magistrum anniversariis honoribus prosequuntur. Ostendebat cognitam ab eo traditamque unius Dei naturam multo ante, quam inanes de Diis fabulas popularis error invexisset. Ea tanti viri commendatione id Riccius assequebatur, ut eruditorum omnium iniret gratiam, et eos ad suscipienda Christiana sacra procliviores haberet; ut continuo patuit in Mandarino clarissimo, et inter Sinensium copiarum ductores celeberrimo, qui primus Naukini Christum ejusque legem palam coluit. Nomen illi vernaculum Cin; novum in sacra positum fonte, Paulus fuit. Patris exemplum secutus est adolescens filius; tum reliqua familia; mox propinqui et affines, e quibus tamquam vivis lapidibus Nankinensis

Cin, primus e Mandarinis Christianus,

cum familia.

Christianorum cœtus coaluit ipso *angulari lapide Christo Jesu*. Hoc successu erectus Riccius aditum ad Imperatorem denuo impensius tentare statuit. Pekinumque regredi, quo illum, felicioribus auspiciis, Deo duce properantem anno proximo persequemur.

In Japonia collecti fructus.

Quamvis Ecclesia Japonica Taicosamæ interitu paulum respiraret; non vacabat nihilominus metu ob dissidia procerum, quos Taicosama publicæ rei gubernatores præfecerat. Quî potest enim inter multos pares diu stare concordia? Non ausi sunt initio durius quidquam statuere in Christianos, quorum et numerus, et opes formidandæ. Imo Gieasus, inter istos proceres facile princeps, qui postea nomen Daifusamæ cum ipso imperio sumpsit, liberam ipsis potestatem Christi palam profitendi Nangazachii dedit, quæ civitas quasi Japonicæ claustrum est; ejusque gubernatorem monuit, ne quid ipsis et Societati molestiæ faceseret. His freti Patres suas Arimæ et Omuræ domos receperant; colligere quos nupera tempestas dissipaverat Seminariorum alumnos : fregere iram et conatus impios Regis Firandi, qui se offensum graviter a Christi cultoribus querebatur, et innumeros solum vertere coëgerat, quod calamitatis et pœnæ genus apud Japones longe gravissimum est. Erant in iis bellatores egregii complures; quibus bellum in regem impium et crudelem parantibus, eripuerunt arma Patres, et rem ad concordiam

adduxerunt. P. Joannes Baptista Baeza in urbem arcemque Giatzucirum excurrit. Opera jam per triennium ibi posita et perdita fuerat. Improborum pervicaciam et feritatem domuit cœlestis gratia. Suppetias venerant Patri Baezæ quatuor Sacerdotes Societatis, quibus brachia fuere sustentanda, cum baptizandis neophytis fatiscerent; adeo multi ex oppidis vicinis pagisque convenerant. Præda Christo parta fuit animarum viginti quinque millium. Omnino septuaginta millia hoc et sequenti anno ad Fidem accessisse perhibentur. Inter dynastas et principes qui dulce Christi jugum subierunt, tanto insignior fuit Arimæ regina, quanto erat pertinacius cultui falsorum numinum dedita. Illam P. Valignanus abduxit ab impia superstitione, cum universa ejus familia. Denique rex Amangucii Morindonus novem regnorum dominus, pulsam olim Societatem in integrum restituit.

Controversia de Auxiliis.

Restat, ut clausulam huic anno imponamus, explicanda breviter secunda velut epocha controversiæ de Auxiliis, quæ ad sedis Apostolicæ tribunal, anno MDXCIV ut ibi diximus, evocata, inter Dominicanos et Societatis Theologos Romæ cœpta est agitari. Consistit hæc in eo controversia, ut explicetur concordia gratiæ efficacis cum libertate creata; sive quo pacto gratia sit efficax, ita ut libertatem non lædat. Scripserat eo de argumento librum P. Ludovicus Molina, quem *Concordiam* inscripsit. Licet istius libri examen a

Pontifice vocatum non fuisset ad Romanum tribunal, sed tantum examen *controversiæ circa gratiam sufficientem et efficacem* : nonnulli tamen Clementi VIII persuaserunt, in libro Molinæ contineri multa Pelagianorum et Semipelagianorum erroribus affinia, eoque libro condemnato facilem aditum ad quæstionem universam de gratia efficaci apertum iri. Ergo delecti a Summo Pontifice censores aggressi sunt examen Concordiæ Molinianæ, quarto Nonas Januarii an. MDXCVIII, et propositiones, initio amplius octoginta, mox sexaginta, postea pauciores damnarunt. His auditis Molina supplicem libellum, anno MDXCIX, Pontifici offerendum curavit, quo postulabat, ut liceret sibi librum suum et improbatas a censoribus propositiones defendere. Annuit Clemens, et quia Molina ipse per valetudinem et senium Romam ex Hispania conferre se non poterat, nominati sunt duo Societatis theologi, qui ejus locum implerent. Convenerunt utriusque partis actores apud Cardinales Madrutium, Asculanum, et Bellarminum. Utriusque doctrinæ dissidium variis propositionibus et scriptis hinc atque inde expositum et excussum. Instabant interim censores, ut Molinæ libro nigra inureretur nota, ejusque censuram sæpius reformatam anno MDC detulerunt ad Pontificem. Inclinabat ad ferendam sententiam Clemens, cum accepit litteras ab Alberto Archiduce Austriæ, Lusita-

niam tunc pro rege Catholico gubernante. Testabatur Molinæ librum legitimo judicio per sacram Inquisitionem constituto, et auditis partibus, approbatum, et omnis expertem erroris ac vitii judicatum. Accesserunt ad has Archiducis litteras amplissima testimonia et judicia religiosorum ordinum, Academiarum et theologorum Molinam ore uno laudantium et approbantium. His conturbatus Pontifex ipsum Molinæ librum perlegit, vocatisque censoribus enixe præcepit, ut cautius in re tanti momenti progrediantur, censuramque diligenter emendent. Ea demum ad viginti propositiones redacta fuit, quæ inter Dominicanos et Molinæ defensores agitatæ magnam anno MDCI partem tenuerunt. Cum tamen ea via parum proficeretur, statuit Clemens causam totam per se ipse agnoscere, ejusque arbiter sedere; quod anno demum MDCII præstitit.

Annus Christi 1600 : Societatis 61.

Congregatio PP. Procuratorum.

Jusserat Clemens VIII anno MDXCIII, ut post sexennium, nempe anno MDC Congregatio Generalis haberetur. Idem tamen oratus a Patribus annuit, ut e Provinciis tertio quoque anno, pro Societatis more, in Urbem missi Procuratores decernerent, cogenda, necne Congregatio Generalis esset? Illi Romam hoc anno delati, censuerunt nihil esse causæ cur comitia Societatis indicerentur. Per eam occasionem nonnulla fuere

constituta, quæ ad communem Societatis fructum pertinere videbantur. Cujusmodi sunt, ut Visitatores in certas Provincias mitterentur; ut Provinciales de promovendis ad gradum Præpositum Generalem mature admonerent, ac si quis parum dignus solemni quatuor votorum professione judicaretur, illi scriptæ, cur esset rejectus, causæ traderentur : ut juniores tirocinio perfuncti a seniorum Patrum contubernio ad certum tempus segregarentur. Id jam inde a condita primum Societate usurpatum constat, apparetque haustum ab illis antiquioribus religiosæ vitæ magistris, et cœnobiorum auctoribus, * qui semina virtutum mandata rudibus animis, intentiore cura foveri tantisper oportere judicabant, dum suis nixa radicibus aperto se impune cœlo crederent. Huc accedit, quod aliqua recte fiunt a grandioribus natu, quæ pejorem in partem accipiuntur a junioribus, propter imbecillitatem sive judicii, sive virtutis. Nec nulla peccantur a senibus per imprudentiam aut incuriam, quæ subduci teneris oculis, ne fascinentur exempli contagie, decet.

* *S. Basilii regula, c.* 12.

Collegia hoc anno nata, aucta restituta,

Hæc aliaque id genus probavit Pontifex, et collegium in Creta insula sub Sixto V inchoatum, cujus fundamenta nutabant, accisis, quibus stabat, vectigalibus, amplissimo diplomate stabilivit. Idem Ecclesiastico beneficio censum auxit collegii Beneventani. Jam fruebantur cives domo Professorum, Collegium maluerunt. Tropæa, sive Tropia

civitas est Calabriæ ulterioris, ad oram Tyrrheni maris, clara propter Episcopi sedem, populi frequentiam, cœli amœnitatem et feracitatem soli. Hanc in urbem non sine singulari Numinis providentia, duo fratres Societatem vocaverunt. Collegium Catacense olim inchoatum, firmavit ad perennitatem liberalitas Juliæ Zaccoviæ, et ejus filiarum : Calatanissetanum in Sicilia inchoavit Ludovica de Luna, Bivonæ dux, ejusque nurus, Paternionis princeps. Apertum item Cremonæ, cum insigni pompa et apparatu litterario. Coloniensis Archiepiscopus nostros revocavit Aquisgranum, unde cedere coacti fuerant an. MDLXXXIX. Quamvis nondum revocati fuissent Lutetiam et in aliquot alias Galliæ urbes, unde anno MDXCV discesserant, eorum tamen calamitas populi studia non restinxit, augebaturque in dies numerus non tantum adolescentum, sed etiam virorum genere doctrinaque præstantium, in Societatem cooptari postulantium. Eo consilio Erricus a Lotharingia Episcopus et Comes Viroduriensis Romam
* *anno* 1596. proficisci * non dubitaverat, ut Episcopatu deposito vitam inter nostros religiosam profiteretur. Id cum a Summo Pontifice non impetrasset, dolorem suum consolatus est ædificatâ Probationis domo in oppido peramœno, quod S. Nicolai fanum vulgo vocant, ut multis aditum aperiret, quem sibi videbat interclusum. Paratam domum subiere tirones Sexto Idus Februarii. Moleste

tulerat Aquaviva designata et promissa Bliterensibus, ac Lemovicensibus fuisse anno superiori collegia non petito Regis assensu : laudavit Præpositi Generalis prudentiam Henricus IV et collegium utrumque stare jussit. Embricense in medio belli tumultu, contra hæreticorum impetus, constantia consilioque Sociorum servatum est. At ex iis tres eodem belli feralis incendio sunt absumpti P. Petrus Buzelinus, P. Otho Campensis et P. Laurentius Everardus.

Socii in Belgio ab hæreticis perempti

P. Buzelinus, cum in perruptis ad Brugas Alberti Archiducis castris Batavi promiscuam ederent stragem, licet fuga consulere saluti posset restitit ad expiandos morientes catholicos, quo in opere charitatis, palam professus se non hostis aut militis, sed sacerdotis partes obire, trucidatus est ab hæreticis. Cameraci natus anno MDLXIII, in Societatem fuerat adscriptus MDLXXXV. Ad eumdem modum P. Otho, inter audiendam militis confessionem glande plumbea trajectus, cum adhuc spiraret, a superveniente sicario confossus periit. Societati nomen dederat anno MDLXXXIV annum agens septimum circiter et vigesimum. P. Laurentius Boscoducensis, in pagum Ostendæ vicinum abreptus a militibus qui sacerdotem esse resciverant, et strictis gladiis appetitus mortem integerrimæ vitæ consentaneam oppetiit. Annos tres ac triginta dumtaxat expleverat. Eodem glorioso fato sublatum perhibent P. Nicolaum Mon-

tanum in tumultuaria pugna, cum iret Castelletum, ut præsidiarias cohortes ad Paschale festum compararet. Patrem quoque Sagerium, de quo annales nostri cum laude meminerunt ad annum MDLXX *, veneno ab hæreticis dato exstinctum hoc anno fama tulit.

* *Parte* 3. *l. VI. n°* 64.

Societas in Transylvania rursus restituta;

Ne sævirent in Patres Transsylvanos Ariani, prohibuit Georgius Basta Cæsariani exercitus ductor, qui Michaelem, Vayvodam Valachiæ, parere Cæsari, et catholicis favere, quamvis invitum, coëgit. Usi hac opportunitate duo e Sociis Varadinum sunt profecti ad catholicis opem ferendam, quibus etiam, ut templa quædam ab hæreticis occupata redderentur, effecerunt. Alii a proceribus in regni Comitiis ob modestiam et patientiam laudati, pristinum in statum et sua collegia sunt restituti.

in insulam Dium inducta

At novam in insula Dio sedem Lusitani Socii posuerunt. Est hæc insula in apice regni Cambaiæ, qua fluvius Indus in mare devolvitur, ad latus occidentale ejus ostii. Ex ea in omnem Asiam et Africam naves ac merces ex orbe toto collectæ sparguntur. Subiit insulam Societas pridie Cal. Martias. Fructus ex infinita prope hominum multitudine collectus expectationi respondit. Sæpe tentatus fuerat in vicinam Cambaiam aditus, quam Dio jungit pons modico freto impositus. In eam transgressus P. Gaspar Soarius rem divinam fecit in urbe primaria; et Lusitanis Arme-

niisque compluribus sacramenta ministravit. Idem Saratam ex itinere lustravit, urbem imperii Mogolici clarissimam, et emporium celeberrimum. In Imperio Mogolis,

Admonet me injecta mentio imperii Mogolici, ut Patrum labores in urbe imperii præcipua breviter attingam. Concertationes illis assiduæ cum ethnicis et Mahometanis, qui cum non auderent ferrum stringere in homines Imperatori percaros, iisdem exitium veneno moliti sunt, sed lento, quod minus haberet invidiæ. Erat ea dos hujus toxici, ut somnum conciliaret, sed insuperabilem, sensimque in perennem somnum et noctem æternam desineret. Eo dum constricti jacent Patres, domus eorum direpta est per tenebras. Cum nemo se domi commoveret multo jam die, neque paterent fores pro more, suboluit fraus vicinis. Accurrunt, sopitos ac temere jacentes humi vident. Curati opportunis remediis, et a brevi morte revocati sunt. Rem indignissime tulit Imperator, ac veneficos prædonesque jussit inquiri. Sceleratos fuga servaverat. Ut vero Societatis hostibus molestiam exhiberet, edictum sua obsignatum manu Patribus dedit, quo velle se ac jubere pronuntiabat ut Christianam amplecti legem cuilibet jus fasque esset. Hoc diplomate calamitatem suam Patres abunde sunt consolati, quo urbium ac provinciarum præfectos, si quid in Christi cultores molirentur, coërcerent : et P. Hieronymus Xaverius ultimam libro manum imposuit, quem ethnici et Mahometani Patribus exitium moliuntur.

Liber de Vita Christi Persice scriptus.

rogante Akebaro scribere aggressus erat Persico sermone, qui gentis vernaculus, de vita, miraculis et doctrina Christi. Hunc librum latine vertit interpres hæreticus, ac Lugduni Batavorum edidit, cum annotationibus e Calvini schola sumptis, quæ causa fuit, cur Historiam hanc latine sic redditam, et male amplificatam, sacra Indicis congregatio notaverit.

Acta in insula Sundiva,

Sundivæ insulæ arcem Mogolum Imperator per idem tempus eripuerat Regi Cadaraio. Is Lusitanos in Sundivam arcessivit, quos secuti Societatis Sacerdotes, templum domumque ponere cœperant in hac insula frugum opumque variarum divite, unde in regna Peguanum et Arracanum excurrere liceret, idque eo facilius quod morte Regis Peguani compositum fuerat bellum, ipsi a vicinis duobus illatum Regibus. Sperabant Patres fidem ac pietatem, sequestra pace, in quietos animos, et mutuis cladibus fessos, citius utiliusque inferendam. Invitabat illos P. Melchior Fonseca, qui primum Societatis templum ipsis Calendis Januarii Sanctissimo Jesu nomine insi-

in Bengalano regno,

gnitum consecraverat in regno Bengalano. Ne Patrum votis responderet exitus, invidia Regis Arracani prohibuit. Lusitanos in Sundiva, nativis munita scopulorum propugnaculis consedisse dolens, et eorum arma reformidans, illos ante depellere loco tam opportuno statuit, quam in eo se confirmarent. Post varia certamina resistentes

acriter, ut numero inferiores, insulam ultro deserere, cum Patribus coëgit.

Damnum hoc utcumque pensavit novæ gentis ad Christum accessus. Maleani montes incolunt, qui a Septentrione in meridiem porrecti peninsulam Asiæ intra Gangem duas in partes Orientalem, et Occidentalem dividunt. Pagatim fere habitant. Unicuique pago præest impositus a Rege gubernator. Lene populi ingenium, modesti mores, et a flagitiis remoti gravioribus, naturali quadam bonitate. Rara in pagis templa, rara numinum falsorum simulacra : sed magicæ sortes, et præstigiæ passim vigent. Ad ea exeunte Junio profectus Rector Collegii Vaypicotani Regem adiit, et eum ac gentis primores erudivit. Constructum templum et brevi sic adornatum est, ut solita in eo ministeria Sacerdos obire posset. et apud Maleanos.

Non tam facile repertus est aditus in urbem Imperii Sinici primariam, sed repertus tamen denique est hoc anno hunc in modum. P. Matthæus Riccius post constitutam Nankini domum, cum favere, Societati Mandarinos æque ac litteratos cerneret; ac senescere paulatim mixtum odio et metu contemptum, quo superba gens alienigenos prosequebatur, Pekinum proficisci statuit. Eo pergere fas non erat sine diplomate idonei magistratus, quo potestas fieret Europæo litterato ad regiam accedendi. Ad tribunal Cioselini Mandarini hujus facultatis concedendæ ac diplomatis P. Riccius proficiscitur Pekinum.

venia pertinebat. Quod infimis precibus, ac profusis donis impetrari vix posse credebatur, id Cioselinus semel oratus, et gratis, dedit. Sententia diplomatis hæc erat. Matthæum Riccium, externum quidem genere, at usu et annorum viginti domicilio Sinensem, fidelitatis esse adeo exploratæ, spectatæque probitatis, ut cum de illius moribus quæstionem variis in locis jurati judices habuissent, semper deprehensus fuisset expers mendacii vel levissimi (ea laus apud Sinas tanto illustrior est, quanto rarior.) Habere peregrina quædam munera non contemnenda, quæ offerre Imperatori desideraret. Dignum hominem, inquiebat, judicavi, cujus iter munirem hoc diplomate, et cujus virtute hoc testimonium darem ne ad aulam accederet ignotus.

His litteris instructus Riccius dat se in viam ineunte Maio, cum P. Didaco Pantoya; et aliis quatuor nondum Sacerdotibus. Post dies quadraginta ventum est in oppidum, ubi certum vectigal pendunt merces quæ in septentrionales provincias ab australibus pervehuntur. Huic portorio præerat Mathanus, eunuchus rapacissimus et avaritiæ nomine male notus. Is ubi mentionem munerum Europæorum fieri cognovit in diplomate, illorum partem avertere statuit, et Riccio si posset, volenti si non, invito, eripere. Munusculis illum captat, vocat ad cœnam, industriam Europæam atque artes laudat. Riccius quo spec-

taret humanitas tanta sentiens, gratias ingentes agit, et comitatem comitate pensat; munerum autem suorum et capsarum usque conspectum, negat, licet earum inspiciendarum copiam sibi fieri prædo nequissimus identidem oraret. Ubi videt Riccium expugnari blanditiis non posse, sibi fas esse renuntiat inspicere advenarum sarcinas, nihil ab hominibus ignotis non esse metuendum : monendum Imperatorem, si quid fraudis aut periculi deprehendatur. Nec plura : dat lictoribus signum, qui dum sarcinas petulanter aperiunt excutiuntque singula, in Christi e Cruce pendentis effigiem incidunt. Exclamat improbus incantamentum id esse longe certissimum, in perniciem Imperatoris comparatum. Quid enim aliud esse tetram illam cruenti cadaveris effigiem quam veneficii magicum instrumentum? Hæc vociferans componit libellum, quo Europæum advenam comparati in caput Principis veneficii convictum affirmabat. Addit alteram accusationem, ductum e chartis quibusdam geometricis et geographicis, ratus eas ad astrologiam divinantem, quam judiciariam vulgo dicimus, pertinere; ideo vetitam graviter legibus Sinicis, quod ejusmodi astrologi periculosas in imperio seditiones olim convehissent. In peculiarem capsam diligenter obsignatam hæc omnia conjicit, addita inscriptione qua testabatur ista in Riccii sarcinis reperta sceleris et periculi plenissima. Dederat

operam ante tres quatuorve menses Riccius ut index munerum, quæ Pekinum ferebat, exhiberetur Imperatori. Cum nihil ab aula responsi audiretur, incredibili erat in metu. Animam tamen non despondit. Per medias, quibus ejus domus a Mathano cingebatur, excubias emittit Fratrem Sebastianum Fernandem : excurrere Pekinum jubet, amicos monere quem in locum deductus sit, inde opis aliquid et consilii referre. It Fernandes, redit, et narrat auxilii nihil Pekini esse; deditum penitus eunuchis Imperatorem, illos unos rerum potiri : neminem esse qui contra impurum gregem hiscere audeat : suadere amicos ut relictis Mathano regiis donis, vitam ex immanis belluæ ungnibus ereptam apponat lucro.

Prorsus hic patuit quam vere pronuntia-
* *Prov.* 21. verit sapiens *Cor Regis in manu Domini* * et quam investigabiles suppetant viæ rerum humanarum arbitro ac moderatori Deo ad maxima quæque, prout æternis destinavit consiliis, exequenda. Sinarum Imperator cui munerum oblatus, quem dixi modo, index fuerat, subito, nemine admonente, tot jam elapsis mensibus, in memoriam redit tintinnabuli, cujus inter cetera munera fiebat mentio, quod sua sponte sonitum edens, horas indicaret : sic horologium manuale describebatur. Continuo, ubi id sit, cur ad se non deferatur, quærit? Negantibus, qui forte aderant, eunuchis id fieri, nisi nominatim jube-

ret, posse; neque hominem externum aspirare ad aulam ausum, nisi certo mandato evocatum; adsit ipse statim, inquit, tintinnabulum istud automatum afferat quam primum; commeatum, rhedas, viaticum Mathanus illi subministret.

Perferuntur ad Mathanum Imperatoris jussa. Conturbatus nuntio tam inexpectato, æstuabat pudore, ira, metu : nimirum probe sibi conscius quam indigne et crudeliter hospitem Europæum, qui modo tam splendide vocabatur, accepisset. Sic illum placare statuit, ut eumdem perdere, si esset opus, posset, quodque ipse fecerat, defendere; scilicet fretus ea capsa, quam e Riccii sarcinis reservaverat. Hunc igitur, dissimulato mœrore, certiorem de Imperatoris mandato facit, commeatu instruit, adjungit triginta stipatores honoris ac tutelæ causa : sarcinas ejusdem in navim imponi, festinare servos ac gerulos imperat. Dum properant et omnes angulos, ne quid omittatur, pervestigant, abditam certo in loco capsam illam feralem, et a ceteris per Mathanum sepositam, gazis omnibus propter mathematicas observationes ac figuras Riccio potiorem, cum aliis capsis ignari comportant. Hanc ut abesse cognovit postridie Mathanus, dirignit. Properare servum jubet, eamque, quocumque tandem modo recipere : certum interminatur exitium nisi quamprimum illam reportaret : Famulus minis attonitus, quas inanes non esse aliàs

senserat, maluit vitam servare fuga, quam jussa impotentis heri tanto periculo facessere. Ita Riccius, Deo ducente, victor, incolumis, ubique regium in morem adhibitus, uti solent qui arcessuntur ab Imperatore, Pekinum ingressus est exeunte Januario sequentis anni.

In Japonia civile bellum,

Obitus Taicosamæ, qui Sinas magno liberaverat metu, Japoniam in civile bellum conjecit. Eam gubernabant proceres octo, donec Imperatoris filius adolesceret. Inter illos eminebat Gieasus, ac summam potestatem haud dubie affectabat. Ceteri proceres, qui conservatum ut par erat, Taicosamæ filio imperium cupiebant, iniquam Gieasi ambitionem frenare aggressi, facere non potuerunt, quin bellum denique funestum toti Japoniæ susciperent. Victi fugatique, jugum subire coacti sunt. Barbaræ Japonum leges, quæ victorum et reorum uxores, filios, affines et amicos, licet a culpa belloque remotissimos, eadem ac victos reosve, pœna multant, Japoniam cæde ac sanguine impleverunt, et maximas religioni Societatique clades intulerunt. E nostris alii fuere in vincula conjecti, alii fame, frigore, variisque ærumnis debilitati, quibus P. Alphonsus Gonzales oppressus anno MDCI concidit. Paulo ante migraverat e vita P. Petrus Gomez, qui provinciæ Japoniæ præerat, ac difficillimorum temporum acerbitatem prudentia, patientia, et singulari Deiparæ studio, leniverat. Traditur petiisse a

et religionis ac Societatis clades.

superis per annos quatuor et viginti, ut in Japoniam aliquando perveniret, ubi se totum divinæ impenderet gloriæ. Illuc demum ex Hispania sua delatus tantam vim cœlestium donorum, tam uberes solidæ virtutis fructus annorum sexdecim quos ibi egit spatio percepit, ut magno cum fenore persolutum sibi diceret quidquid unquam incommodorum in ea pertulisset. Restabant in Japonia Socii centum et novem : illis quatuordecim subsidio venerunt.

Inter Principes viros quos belli civilis turbo sustulit primas obtinere merito debet Augustinus Teucamindonus, Rex Fingi, pietate, fortitudine, belli gloria nemini secundus. Necem illi ejusque liberis a superbo victore illatam nostra deplorat historia * majore luctu nescias, propter indignitatem pœnæ, an gratulatione, propter editum a viro forti Christianæ patientiæ specimen in ea toleranda. Non minore gloria mortem subiit Regina Fungi, quam maritus, ferox ethnicus, non poterat non odisse, quia Christiana; nec amare non poterat ob excellentem formam, et mores suavissimos. Metuens ne veniret in hostium manus, inclusit illam domi, et obtruncari a famulo jussit.

* *Parte* 5. *lib.* 20. *n.* 31.

Fuit hic annus propter populares morbos Paraguaiæ in Australi America, funestus. Patres Emmanuel Ortega, et Thomas Tildius, pagos, antra, nemora diu noctuque concursarunt, ut morienti-

bus catervatim Indis præsto essent. Nec paucos mortis metus ad capessenda salutis æternæ remedia compulit. Pergratus accidit Societatis labor Novæ Cordulæ civibus, qui Societati domum publico consensu obtulerunt. Ea dum ædificatur, Joannes Romerus in circumjectis urbi locis ardorem Fidei ac pietatis prope extinctum, suscitavit. Procurrit inde ad Diaguitas, qui veterem erga Hispanos alebant iram innata feritate, et bene de illis mereri se arbitrabantur si palam non rebellarent. Nostros exceperunt læti, quippe satis gnari paratum sibi esse in eorum charitate et auctoritate perfugium adversus iniquam Europæorum vexationem. Hac opinione, sane vera, fretus Romerus quinque oppidula Christianis legibus et sacris initiavit. Finitima gens exemplo mota, in Christi jus ac ditionem ultro venit. Ut curam Lullorum susciperent PP. Ferdinandus Monrogus et Joannes Viana, hoc maxime stimulo excitati fuerunt quod nemo immanitati gentis et inconstantiæ auderet se committere; quo factum erat ut ab annis duodecim destituta omni auxilio jaceret. Crudelitatem gentis comitate, inconstantiam patientia domuerunt. Tantam porro vim cœlestium deliciarum suis famulis Deus totius consolationis infudit in gravissimis ærumnis, et humanorum commodorum penuria, ut scriberent vereri se ne merces quantulacumque suo labori debita, sic repræsentaretur. Cum tamen istis, quamlibet haustis e cœlo

Domus, in Nova Corduba,

et in quinque oppidulis.

voluptatibus, inesse fraudis aliquid et fuci potest, Socios omnes e remotissimis regionibus unum in locum identidem congregandos curabat P. Romerus, ut precationi vacarent impensius, ut consilia simul conferrent, de ratione juvandarum animarum, ut quæ sibi quisque obfuisse vel profuisse observasset, communicaret cum ceteris, seque piis sermonibus et exemplis invicem accenderent. Ita Deo pleni repetebant opus paulisper intermissum; et conceptas per sacrum otium flammas latius, tutiusque spargebant.

Annus Christi 1601 : Societatis 62.

In Anglia, Nondum quieverat in Anglia discors Appellantium animus, quem astutia sustentabat hæreticorum; hi autem cum sentirent a proposita concordiæ et obedientiæ via Romam dimoveri non posse; ad pristinum rediverunt crudelitatis ingenium. Illam expertus est hoc anno P. Rogerius Filkochius, olim Duaci, postea Vallisoleti educatus in Anglicano Societatis Seminario. Inde in patriam transmisit sacerdotio et armis theologicis instructus. Post biennium certando vincendoque feliciter consumptum, in Societatem adscriptus est. Vix religiosæ militiæ sacramentum dixerat, cum interceptus a Reginæ satellitibus breve tirocinium posuit in ergastulo Portæ, ut Angli vocant, Novæ. Interposito non amplius biduo, insontem capite damnarunt, nullo teste audito,

P. Filkochius necatur.

nullo judicio instituto : Sacerdotem esse suspicabantur. Suspicio satis noxæ fuit. Socium gloriosæ mortis habuit P. Marcum Bakworthum, a S. Marco vulgo dictum, Monachum Benedictinum, qui Filkochium vocat in quibusdam litteris virum insigniter humilem, eximia charitate, patientia et pietate præditum, dignum cujus vita proponatur omnibus tamquam vivendi exemplar et norma. Ambo eidem crati vimineæ impositi ad supplicium raptati sunt, illud Davidicum concinentes. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea* * simulque in patibulo triumpharunt.

* *Psal.* 117.

Majorem in Anglis prædonibus maritimis humanitatem experti sunt viginti e nostris Lusitani, petentes Brasiliam. Navis Belgica, qua vehebantur, a duabus Anglicis oppugnata, post acre certamen deditionem fecit. Patres injuria prohibiti, mensa etiam liberaliter accepti sunt a navium gubernatore Anglo. Pars instructi viatico et in patriam dimissi, pars ab eodem in Angliam deportati. Rogatus cur eos non perinde ac ceteros abire liberos pateretur, respondit se id quidem alias fecisse, verum a Reginæ administris graviter fuisse objurgatum, quippe qui dicerent satius esse capi unum Jesuitam, quam decem aureorum millia in fiscum inferri.

In Hibernia,

Quæ ratio satellites Reginæ contra Societatem offerebat in Anglia, eadem illos in Hibernia stimulabat. In hanc duo e nostris P. Jacobus Arce-

rus, et F. Dominicus Colinus accesserunt cum Hispana classe, quæ Hibernis catholicis, ad spem restituendæ religionis erectis, opem latura mittebatur. Hyems, morbi, et locorum difficultas, ne consilium succederet vetuerunt. Hispani reddere Kinsaliam, quam primo aditu occupaverant, et honeste de reditu pacisci cum hoste maluerunt, quam temere ac frustra perire. P. Arcerus in Hibernia remansit, seque adjunxit aliis quinque sacerdotibus, qui tunc in ea occulti degebant. Horum unus, P. Henricus Fitzimon ab exploratoribus Elisabethæ comprehensus, Dublinensi custodia tenebatur. Ex ea provocare ad certamen de religione ausus Ericium, doctorem inter hæreticos præcipuæ notæ ac famæ; cum detrectari cominus pugnam ab adversario intellexisset, illum edito libello velut eminus vulneravit. Ultus ille molestum scriptorem est, aucta carceris immanitate, cujus incommoda cum P. Fitzimon quinquennio toto pertulisset, vindicatus fuit in libertatem, et præmium egregiæ confessionis exilium tulit, Elisabetha e vivis sublata. Quid Fr. Dominico Colino, factum sit dicetur anno MDCII. quid egerint et passi sint Socii.

Veteres in Transsylvania turbas Sigismundi Principis inconstantia renovavit. Privatam vitam pertæsus, et adversus Austriacos concitatus a suis, rursum Principis nomen et personam, sumpsit. Illum injusta possessione pellere Georgius Basta, Cæsaris legatus aggreditur, accito in belli Societa- Turbæ in Transylvania,

tem Michaele, Vaivoda Valachiæ. Pugna quinto ab Alba Julia lapide committitur. Fusi cum Sigismundo Transsylvani. Victor Cæsaris exercitus irrumpit in civitatem. Milites hæretici non invito Michaele, qui partem copiarum ducebat, cuncta sacrilegiis et cædibus contaminarunt. Direpta templa, eversæ aræ, sacræ imagines laceratæ, et proculcatæ. Factus in collegium Albæ Juliæ impetus a sceleratis. Spoliati Patres, raptati, vulnerati pertrahuntur in vincula; unde illos tamen Georgius Basta deducendos Claudiopolim curavit. Ac ne illis quidem ibi tutis esse diu licuit. Sigismundus reparato exercitu Moysem, principem Siculiæ, quæ regio Transsylvaniæ vicina est, auxilio vocavit, et Claudiopolim obsidione cinxit. Is mox rebus aliquot adversis fractus, et innata ductus levitate, Cæsarianis facta pactione se dedidit; exercitu et Principatu in perpetuum relicto, concessit in Bohemiam, ubi quod superfuit vitæ privatus egit, clarior et felicior onere deposito, quod humeri ferre non poterant, quam gesto. At Moyses, collectis Arianis quorum sectam profitebatur, fretus etiam Turcarum et Tartarorum auxiliis, ne frustra laboriosam expeditionem suscepisse videretur, et aliquem ex his turbis fructum captans, occupavit partem Transsylvaniæ et Claudiopolim aliquanto post expugnavit.

Albæ Juliæ Collegium spoliatur.

In Collegio Derpatensi

Illata pariter collegio Derpatensi clades, in Livonia. Carolus Sudermannus post occupatum

ereptumque Polonis Sueciæ regnum, Livoniam invaserat, ac Derpatum expugnatum militi diripiendum objecerat. Pergit ipse in collegium, ubi Socios aris advolutos et in omnem paratos aleam nactus, probris et contumeliis obruit, et in Romanam Ecclesiam summumque Pontificem debacchatus, ingentis beneficii loco visus est annuere ut viverent : Collegium deinde Christophoro Sommerio, copiarum ductori Lutherano, donavit. Ille a sacris vasis exorsus, ea latebris refossa substulit : ceteram supellectilem, libros, vestes, annonam, diripuit. Patres excruciavit, colaphis ac verberibus affecit ut indicarent thesaurum, quem penes ipsos esse affirmabat. Addidit cruciatibus ignominiam : alios ridiculo instructos cultu, per ludibria sannosque populi circumduxit; alios in facinorosorum carcerem contrusit, ubi quatuor morbo sunt confecti. Reliquorum patientia et religio per triennium variis ærumnis probata, et ornata fuit, donec permutati cum aliquot Suecis, qui captivi tenebantur in Polonia, libertatem tamdiu negatam, ac prope desperatam, sunt adepti.

Patres verberibus et contumeliis affecti.

Sigismundus Poloniæ Rex nullam reducendæ in Sueciam catholicæ religionis viam cernens, huc omnes curas contulit ut eamdem in Polonia sua bene stabilitam ac florentem conservaret, imo quam longissime promoveret. Itaque cum legationem destinaret ad Moscovitas, addidit legatis duos e Societate Sacerdotes, qui Moscoviæ Ducem con-

Legatio ad Moscovitas,

firmarent in suscepto, ut prædicabat, consilio revocandæ in suas urbes pristinæ cum Ecclesia concordiæ. Is erat Boris Gudenous, qui principatu per malos artes potitus, ubi vidit suis se viribus stare, neque externis admodum auxiliis indigere, larvam exuit, priscos errores ac superstitiones retinuit; ac Patres omni cum civibus colloquio prohibitos in Russiæ fines compulit. Nec multo feliciorem sortita successum est Missio Persica. Venerant ex Asia in Europam legati Persarum, ut a Christianis Principibus corrogarent auxilia contra infestas Turcarum opes. Peragrata Germania et Italia, cum Hispaniam essent ingressi, visum est posse per eam occasionem impetrari a Rege Persarum facultatem Evangelii prædicandi. Decreta ob eam rem legatio, et auctore Cardinali Guevara, Sacræ Inquisitionis præside, Societati commissa. Delecti Patres Franciscus Gironus, et Consalvus Delrius. Parum illi quidem tunc profecerunt, deflagrante inter Persas Ottomanico bello : Statio tamen Societati tunc donata, etiamnum in Perside perseverat. Hanc valde adjuvit legatus Persarum in aula Mogolis, Christianus ex iis quos Georgianos appellant. Liberos suos Patribus obtulit baptizandos, et rediturus in Persidem, promisit se acturum cum Rege ut promulgandæ Fidei potestatem faceret.

et ad Persas

Missi quoque Albenacum in Gallia Patres, stationem posuerunt, quæ postea in collegium

Stationes et collegia hoc anno cœpta.

adolevit. Fundata pariter domus Probationis Avenione : ornata vero Panormi : at Bilbilitanus civis, Petrus a S. Angelo, cum Societatem moriens ex asse instituisset hæredem, nihil moræ fuit quin gymnasii fundamenta jacerentur. P. Franciscus Fernandius in regno Arracano Societatis domum construxit, ædemque sacram Præcursori Christi sanctissimo dedicavit, concurrentibus certatim ad res divinas audiendas, usurpandasque tum indigenis, tum Lusitanis. Septem in Ora Piscaria stationes habebat Societas, collegium etiam in urbe vicina Tutucurino. Pars curæ prima versabatur in antiquis Christianis fovendis, nec nulla in parandis novis, quorum sexcenti partim ethnici, partim Saraceni, ad Ecclesiæ pascua perducti sunt hoc anno. Exortus est crudelis dynastes, qui miseram gentem vexans sacras juxta et profanas evertebat domos, et raptos ex agris colonos in servitutem abducebat. Illius immanitas in urbem Tutucurinum maxime desæviit; direpta Societatis domus templumque pervastatum est. Christiani diuturnis attriti cladibus in vicinam insulam profugerunt, ubi hostiles arcerent incursus, loci natura tuti, quem hinc scopuli, inde angustum et periculosum claudebat fretum. Ibi exstructum est oppidum, in eoque domus Societatis, quæ collegii Tutucurinensis jacturam utcumque pensavit. Ad religionem in Philippinis insulis novo præsidio muniendam, institutum fuit Manilæ in collegio

Societatis Seminarium S. Josephi : ad sodalitium vero Deiparæ quod juventuti excolendæ addictum erat, accessit alterum, conflatum e civibus virtute præstantibus, quorum et numerus et pietas crescebat in dies. Barbari vicinis in insulis tanta sacri baptismatis cupiditate flagrabant, nullæ ut eos difficultates retardarent, seque mutuo ad amplectendam Christi legem hortarentur. Quatuor domicilia Societatis numerabantur in totidem Molucis insulis, Amboina, Tidora, Siao, et Labua. Ubique adfuit magna et fortiter patiendi facultas, et utiliter agendi, præsertim cum Batavi navibus et copiis Ternatensium aucti, arcem Lusitanorum in insula Tidora obsidione cinxerunt. Dies illapso in Apostolos Divino Spiritui sacer ingenti prælio memorabilis exstitit, in quo Patres arma suæ militiæ impigre tractaverunt. Hostis laceras naves ægre fuga servavit. Hoc bello perfuncti Socii varias peragrarunt insulas, quarum alias reddidere Christo, alias addidere. Hyems imbribus fœda pios animorum prædones non tenuit, quin per aspera rigidis Aquilonibus freta, per montes nivibus obsitos prædam sectarentur : hæc mille capitum fuit, quæ baptismus in Christianam vindicavit libertatem. Redierunt in Ecclesiæ sinum complures, qui per superiorum temporum caliginem, et perturbationem defecerant ad Saracenos : ex ipsis Saracenis non pauci bello capti Mahometem ejurarunt.

Longe illustriorem de Cunali victoriam anno superiore iidem Lusitani retulerant, cujus fructus in hunc et consequentes annos redundavit. Cunalis, Archipirata, Malabarici maris imperium quoddam adeptus, regium sibi nomen arrogaverat, adeo ut absque illius nutu mercatores committere se mari non auderent. Quin etiam laureatus, litteras cum legatis ad Reges et Principes Mahometanos, ipsumque Turcarum Imperatorem miserat, exstinctum a se Lusitanum in India et Christianorum nomen jactans. Diu cum illo conflictatus ancipiti bello Zamorinus, Calecuti Rex, implorata demum Lusitanorum ope, improbum profligavit. Victus et Goam perductus meritas truncato capite pœnas dedit. Vitam feliciori fine clauserunt aliquot ejus comites a Patribus instituti et baptismo, priusquam de illis supplicium sumeretur, expiati. Quamvis Calecuti pulcherrime staret Societas, nondum tamen redierat necessaria ejus ministeriis tranquillitas, quamdiu bellum Cunalem inter et Zamorinum flagraverat. Eo demum confecto, huc Patres incubuerunt ut sectarum Malabaricarum arcana perdiscerent : quarum ineptias ita scrutatus est P. Jacobus Fenicius, ut illos mediis in compitis refelleret, stupente populo, et Brachmanis pudorem inscitiamque silentio fatentibus. Sed nullo contra doctores imperitos telo felicius pugnabat, quam Deorum, quos colebant, flagitiis demons-

Calecuti Societas stabilita.

trandis, iisque opponenda Christianæ legis sanctitate. His argumentis accessit aliud domesticum et proprium. Invenit Fenicius prisci poëtæ Malabarici carmina, quibus confutabatur Numinum falsorum cultus; Dei vero providentia, justitia, fines bonorum et malorum affirmabantur. Horum carminum exempla multa descripsit, et mirantibus objecit. Regina Calecuti cum filio Principe, Brachmanum fabulas exosa, divinæ religionis veritatem agnovit. Idem Fenicius sacras Thomæorum Christianorum lustravit ædes. Unam vexabat Regulus; sed interposita auctoritate Zamorini, cujus erat cliens, quievit. Ferebatur hæc ædes Malabaricarum antiquissima. Christianis, quorum numerus valde accreverat, capiendis imparem laxavit Pater, et lapideam e lignea construendam curavit. Conveniebant in eam ipsimet Saraceni et Judæi, non tantum spectandi studio, sed etiam votorum causa, quorum se reos declarabant. Pulsi pariter ex occupatis corporibus nefarii spiritus, recitato Evangelio, et sanati piis amuletis morbi, magnum religioni decus addiderunt. Quibus rebus adductus Zamorinus, quatuor ædes sacras condendi facultatem concessit.

Fœderis inter illum et Lusitanos post debellatum Cunalem icti, præcipuum caput erat, ut non pateretur quemquam præsulem Thomæis præfici, nisi quem Romanus Pontifex approbasset. Mortuo Mar-Abrahamo, eorumdem Thomæorum

præsule dubiæ ac suspectæ merito fidei, et exclusis qui fuerant illi a Patriarcha Balylonio, hæretico Nestoriano, subrogati, actum est de imponendo illis Episcopo orthodoxo. Goanus Archiepiscopus (hunc enim ea potissimum cura spectabat) Ecclesiam interim Thomæorum Patri Francisco Rozo, quem Vicarium Apostolicum, annuente Summo Pontifice renuntiaverat, administrandam demandavit, et ex iis ipsis Thomæis cognoscere studuit in quem oculos maxime conjicerent. Responderunt neminem sibi videri aptiorem huic muneri, quam P. Franciscum Rozum, eumdemque petierunt antistitem, scriptis ad summum Pontificem et Regem Lusitaniæ litteris, laudante consilium Archiepiscopo Goano, cui nota P. Rozi virtus, eruditio, et aliæ præclaræ dotes erant. Nominationem Rex approbavit, eoque postulante Clemens VIII eumdem P. Rozum Ecclesiæ Angamalensi, Thomæisque præfecit. Angamala oppidum est haud ignobile, in eo prope Comorinum promontorium tractu, quem perpetua montium quasi catena (Serram Lusitani vocant) dividit in duas partes, unam orienti soli, alteram occidenti obversam. Hæc modo Antistitis erat sedes, quæ postea translata est Cranganorem, ut anno MDCIX dicemus. P. Franciscum Rozum Hispania dederat Societati anno MDLXXV. Triennio post in Indiam navigaverat, ubi diu prudenter versatus, præsertim in excolendis Thomæis, ejusdem

P. Rosus Thomæorum Episcopus, Angamalæ.

Ecclesiæ creatus pastor, quamvis admodum invitus. Goæ consecratus VIII Cal. Februarii, impositum onus annis tribus ac viginti sic gessit, ut omnes vigilantissimi præsulis numeros impleverit.

P. Riccius Pekinum ingressus.

Dum Thomæorum vetus reflorescit Ecclesia, instituitur nova in Imperio Sinensi. P. Matthæus Riccius Pekinum ingressus est vergente ad finem Januario. Placuere munera, quæ ad Imperatorem deferebat; in primis horologium insigni artificio elaboratum. Jussi continuo primores eunuchi ab eodem Riccio perdiscere artem ejus moderandi; simulque data Patribus venia in interiorem regiæ partem, in quam aditus perpaucis patet, quandocumque vellent subeundi. Quia porro cautum erat legibus Imperii, ne sine prætoris edicto, ad quem spectat advenarum cura, possent exteri regia in urbe consistere, cunctabatur Prætor edictum istud conscribere. Sed obluctari diu non est ausus minitantibus malum potentibus eunuchis, quibus horologii regendi munus fuerat impositum: quippe timentibus ne, si machina claudicaret, aut obmutesceret, errorem emendare non possent absente Riccio, et peccatum capite luerent. Sic Deo voluntates hominum levibus momentis ad sua torquente consilia, stetit Pekini Europæus Evangelii doctor ac domicilium Societatis ibi collocavit.

In Japonia Daifusama

Non minus læta exstitere Daifusamæ Japonum Imperatoris primordia; sed infida hæc et parum

diuturna lætitia fuit. Lenitatis famam initio captans, moderate victoriam de gubernatoribus æmulis partam exercuit; plurimis, qui contra ipsum arma tulerant, ignovit : Societatis Patres ad se adeuntes non modo excepit humaniter, verum etiam Ozacæ, Meaci, Nangazachii, quæ tres primariæ tunc Japonum civitates erant, considere passus est : cumque triginta regna ducibus præcipuis suarum partium divideret, eorum pleraque Christianis obtigere, qui Catholicam religionem in iis, ubi jam vigebat locis, confirmarunt; reduxerunt unde pulsa fuerat; quo nondum pervenerat, intulerunt. Jam provinciarum præfecti, quorum amores et odia nutu Principis, et aulæ vento gubernantur, postquam Patres in honore ac pretio apud Imperatorem esse cognitum est, se Christianis æquissimos ubique præbuerunt. Hic tamen Daifusamæ in religionem favor, simulationis et artificii plenus erat. Cum occupatam ferro potestatem, arte retinendam cerneret, ac timeret omnes qui ab omnibus timebatur, hinc fiebat ut ethnicos tetrarchas juxta et Christianos libraret quodammodo æquis ponderibus, nunc his, nunc illis favens; eam demum amplexurus partem, quæ præpolleret. Legum in Christi cultores editarum a Taicosama severitatem ita moderabatur ut eas tamen non abrogaret; ac valere, cum videbatur, juberet.

imperium initio clementer exercet.

Annus Christi 1602 : Societatis 63.

In Anglia suspenditur P. Pagius,

Sæpe animum subiit admiratio divinæ Providentiæ, in hominibus ad Fidei veritatem aut perfectionem virtutis fortiter æque ac suaviter adducendis. Documento est P. Franciscus Pagius, Anglus, qui nihil de catholica religione amplectenda cogitans, totusque in cognoscendis patriæ legibus erudiendum se tradiderat celebri Jurisperito. Huic erat filia nubilis, quæ adolescentis moribus et ingenio capta, illum sibi sponsum optavit. Unum votis obstabat, religio dispar. Pagius novam Calvini doctrinam; illa veterem Christi et Ecclesiæ, sequebatur. Speravit puella posse juvenem ad catholicorum adduci partes, si P. Gerardium Tomsonum, in carcere Londinensi liberius vinctum, audiret; persuadet ut hominem conveniat. Adit Gerardium Pagius, docentem audit; imbuitur piis meditationibus, et spem puellæ vicit. Neque enim tantum inter catholicos, secundum ejus vota, nomen scribi suum voluit; sed, quod ipsa minime cupiebat, adeo exarsit cœlestium rerum amore, ut conjugii, et honoratæ quæ illi proponebatur sortis oblitus, spes caducas, et bonorum infirmorum cupiditatem penitus abjecerit. Frequens cum Gerardio erat; illi auscultabat in omnibus; adjuvabat cultores animarum, eorumque piis laboribus et gloriæ invidebat. Degustato vitæ apostolicæ hoc veluti

experimento, sanctam illo cibo famem explere statuit, quo Christus ipse pascebatur cum se animarum salute ac lucro ali et refici diceret. * Ergo Belgium, ubi centum quadraginta juvenes Angli excolebantur in Audomarensi Societatis Seminario, petit ad sacrarum litterarum comparanda præsidia; sacerdotio initiatur, et patriam revisit. Ibi declinatis feliciter aliquot periculis, ut ad ea superanda esset novo auctoramento paratior ac fortior, ad Societatem se aggregavit. In Belgium rursus cogitabat, ubi tirocinium religiosæ militiæ poneret, cum tribui solitam veteranis militibus lauream Deus ipsi repræsentavit. Recipiebat se domum aliquando sub noctem, solitis laboribus defessus, respicit instare sibi a tergo mulierem olim catholicam, sed ejurata fide quæstum investigandis et prodendis Sacerdotibus facere tunc assuetam. Maturat gradum. Sequitur improba, vestigiis inhærens, et nomine inclamans. Concurrunt vicini, advolant lictores, qui nusquam deerant, cumque Sacerdotem esse audirent, in custodiam abripiunt. Nemo scilicet Sacerdos Romanus innocens, nemo non cruce dignus habebatur. Hanc irrogati supplicii causam illustrissimam ingente gaudio Pagius accepit; eoque perductus, ubi spectante populo necaretur, se Sacerdotem clara professus voce, addidit nuper adscriptum in Societatem Jesu. Statimque dejectus e scalis, suspensus, dissectusque est, tertio Cal. Maias.

* *Joan. 4.*

in Hibernia Fr. Colinus.

Eandem cœlestis Providentiæ vim suspicere licuit in Fratre Dominico Colino, sive Ocolino; nam Hiberni nobiles solent nomini præfigere litteram O. A parentibus catholicis pie institutus, transmisit in Galliam, religionis in regno Christianissimo facilius, quam inter populares, conservandæ, studio, et armis etiam contra Calvinianos propugnandæ. Galliæ bellis Henrici IV prudentia feliciter confectis, trajecit in Hispaniam, militaris gloriæ cupiditate. In regiam classem, et inter primos ejus ductores acceptus, digna suo genere fecit stipendia, et in Coronensi Gallæciæ portu octonos fere annos exegit. Illic adjecit animum impensius ad studia pietatis, et humanæ gloriæ contemplatus inanitatem, immortalia sanctioris militiæ præmia concupivit. Hoc animo expetivit Societatem, ejusque infimum optavit gradum inter illos, qui domesticæ rei ministeriis occupantur, licet inter Sacerdotes numerari facile potuisset. Adolescentis ingenium, corporis proceri dignitas, natalibus consentanea, et animi quædam elatio, nobilitatis ferme comes, injiciebant nostris metum ne conditionis in religiosa vita infimæ humilitas constantiam ejus tentaret. Cum perseveraret nihilominus petere, sic est admissus Compostellæ, * ut nondum veste religiosa indueretur, ad periclitandam paulisper in domesticis laboribus ejus indolem. Ibi enimvero virtutis egregiæ specimen ingens præbuit, cum Collegium Compostellanum

* 8 *Decemb.* 1598.

populata lues, materiam illustrem æque ac difficilem illius patientiæ et charitati dedit. Hoc facto periculo, decursoque tirocinio, cum per ætatem ac virtutem maturus operi Evangelico videretur, impositus est Hispanæ classi, ad ferendam catholicis Anglis opem instructæ. Hispani milites in Hiberniam expositi, arcem Dombugensem occupaverant, cum ad eam obsidendam repente hostium religionis acies concurrit. Par obsidioni tolerendæ locus non erat, neque a natura, neque ab arte satis munitus. Pacisci placuit honestis conditionibus. Ad transigendum cum Anglis deligitur Ocolinus. Arce dedita, hostes parcunt præsidio, et oppidanis; Ocolino, quem tutum et incolumem præstare jus gentium, et pacta fides debebat, injiciunt vincula, et ovantes velut opimam prædam ac destinatam impio furori victimam abducunt. Post aliquot menses in custodia traductos, Corcagiæ producitur ad tribunal Proregis, ac paucis interrogatur : nam in religiosa ejus veste crimen ipsius abunde legebatur, eaque indutus consulto prodierat, ne quid alieni criminis dolus vel improbitas adversariorum sibi affingeret. Fatentem ultro, seque catholicum et religiosum Societatis prædicantem, urget Prorex, et nunc pollicitationibus, nunc minis ac terroribus suppliciorum quatit. Ubi nec promissa succedere, nec minas videt, repetito cruciatu labefactare pectus invictum, at frustra, tentat. Quamobrem

pridie Calendas Novembris rapi ad patibulum jubet. Processit alacer, inserta collo reste, et ad circumfusam multitudinem verba, verbisque fidem morte fecit, ætatis anno trigesimo quinto, ab ingressu in Societatem quarto.

Religio in Gebennicos montes revocata.

Nihilo clementius tractandos a Calvinistis sese arbitrabantur Patres in eo Galliæ tractu quem Gebennam, sive Gebennicos montes, vulgo vocant. Porriguntur illi montes per triginta circiter leucas a fontibus Ligeris inter Gabalos, Ruthenos, Helvios et Velaunos. Huc se conjecerat, hic regnabat hæresis, defensa valle montium, et nativis loci aggeribus. Ab annis octoginta nullus Episcopus ibi visus erat, nullus sacerdos religiosus, nisi apostata. Homines Societatis cognitos non habebant, nisi ex odio quod in eos hæretici passim omnes habent. Itaque summum periculum erat, nec inanis metus, ne in eam prodirent scelerum voraginem, unde numquam emergerent. Iverunt nihilominus, Christo duce, atque auspice. Præter vulnera et necem, tolerata sunt omnia quæ illis amici portendebant. Vicit constantia pervicaciam, immanitatem humanitas superavit. Portenti simile visum est conspici Patres impune potuisse; nec modo conspici, sed libenter audiri; neque audiri duntaxat, sed ministrare sacramenta, in pravas consuetudines invehi, extirpare vitia teterrima, quæ tam altas radices in solo inculto egerant ut cæsorum sanguine domus, ac viæ re-

dundarent, ut palam volitarent armati sicarii, essetque pars artis, industriæ, gloriæ trucidare inimicum, amico insidiari, percutere inopem, spoliare divitem, et strages hominum pecorumque tanto plures et graviores edere, quanto cuique virium plus ac furoris erat. Hæc monstra domuit, veritas religionis ac sanctitas demonstrata. Uno quodam in pago simul professi catholicam Fidem sunt homines bis mille : puerorum catervæ ultro ab hæreticis parentibus ad Patres deductæ, ut sana doctrina imbuerentur. Instaurata templa, repositæ Cruces, quorum loco fuerant constituta in religionis contumeliam patibula; demum divina res publice peracta. Inter varios errores qui terram sterilem, ut infelices tribuli occupabant, unus præcipue vigebat per satores zizaniorum late ac dedita opera sparsus, nimirum: in qualibet secta virtuti locum et saluti esse. Hoc opinionis pestiferæ lolium ita radicitus evulsum est, ut ejus patronos puderet impietatis et ignorantiæ. His e sententia confectis, Arelatum, Massilia, Fossæ Marianæ et vicina oppida, eodem duce Christo, felicissime perlustrata fuerunt.

eadem propugnata in Alpinis vallibus.

Alii veram pietatem ac Fidem revocarunt in varias Alpinarum vallium partes. Amplius septingenta indigenarum capita Ecclesiæ catholicæ restituta sunt. Lætus inexpectato successu Taurinensis antistes, in Lucernensem suæ diœcesis vallem se contulit, cum Rectore collegii

Taurinensis. Hunc inter et Calvinianæ scholæ magistrum famosa exstitit concertatio, quarto Idus Martias, in patenti prato, quia multitudinem spectandi et audiendi studio undique adductam nulla templa, plateæ nullæ continebant. Novem horis pugnatum est. Nihil superbo doctori profuerunt solita effugia, cum omnia ejus responsa scripto consignata tenerentur, nihil minæ quibus catholicum theologum a se ut pilam jactandum prædicabat, nihil codices, quibus onustum præ se mulum egerat; victus sua et omnium confessione discessit, multique ante finem pugnæ ab eo et universa Calvini schola, desciverunt. Hujus victoriæ statim fructus apparuit multis in oppidis, unde trigesimum jam annum religio vera exulabat.

Omisimus anno MDC virum, præcipuæ inter Gallos nobilitatis, qui pro Calvino annis triginta et amplius steterat Philippum Canaium a Fraxino. Interfuerat eodem anno MDC, quasi partium Calvinianarum actor primarius, colloquio celebri et concertationi, in qua Perronius, Ebroicensis Episcopus, postea Cardinalis, Plessæum-Mornæum, doctorem Calvinistam adeo male acceperat, ut plerique a Calvino palam deficerent. In iis fuit Canaius, eoque nomine ipsi Clemens Pontifex amplissimis litteris gratulatus est. Eumdem postea Henricus IV ad Venetos Oratorem suum misit, hominis fidem ac prudentiam in Anglica et Germanica legatione, aliisque gravissimis negotiis,

dudum expertus. Ibi Canaius novitiæ sectæ præstigias a P. Antonio Possevino diligentius didicit, ab eaque ut familiam suam revocaret impense laboravit. Resistebat uxor, fiducia quadam ingenii male pertinax. Huic demum idem Possevinus hæresim ac pertinaciam eripuit, ejusque filiæ : et ambas auctoritate Apostolica pridie Cal. Octob. hujus anni MDCII Ecclesiæ catholicæ restituit.

Variis in locis posita domicilia.

Ad hæresim pariter e Sendomiriensi Poloniæ tractu exigendam, Palatinus Posnaniensis arcessivit Societatem, eamque Sendomiriæ collocavit. Non erat eadem religionis labes in Corsica insula, populus tamen gravi rerum divinarum ignorantia laborabat : quod cum e Visitatoribus apostolicis eo missis Clemens Pontifex cognovisset, negotium Aquavivæ dedit, ut aliquos e nostris in Corsicam mitteret qui Bastiam, urbem insulæ primariam, illico profecti collegium inchoarunt. Perpinianum aliquot Socii ex Aragonia vocati ab Onufrio Bearto Episcopo Elnensi, modicam sedem posuerunt, quæ ejusdem Præsulis opera justam magnitudinem anno MDCXX consecuta est. Accitu pariter Episcopi Ticinensis Papiam, sive Ticinum, venerat Sociorum manipulus anno superiore, quibus dein domum, templum, et alia necessaria cives munifice donarunt. Canonicus Hispalensis Orsonense collegium, in Bœtica, fundavit. Monssanctus, Piceni oppidum, quia collegii nulla spes ostendebatur, destitutus a Sociis ante aliquot annos fuerat:

a civibus revocati modo sunt. Idem hic annus tres domos Probationis peperit, Madritensem, Nanceianam, et Setinam : unam vero Professorum, in urbe Lusitaniæ Villavitiosa. Cocinensis Episcopus socios in Ceylanum insulam introduxit. Columbum, urbem præcipuam, venere Patres, ibique primum domicilium posuerunt : mox alterum in urbe Chilao, ubi septem dumtaxat Christiani cum degerent, quinque millia brevi sunt numerati. Accesserunt aliæ stationes in variis urbibus septentrionem versus : hæc enim insulæ pars attributa Societati fuerat; Australi relicta Franciscanis, qui priores Ceylanum adierant.

In australi quoque Imperii Mogolum parte, et urbe Agra, quæ altera civitas est regia, templum omnium primum Christi cultores habuerunt, studio præsertim Principis adolescentis, Akebari filii, qui paternam in præcones divinæ legis benevolentiam æmulari contendebat. Unum e sui corporis stipatoribus, quem Christianum esse norat, palam aliquando interrogavit quam religionem sectaretur? Miles pudore malo victus, Saracenum se esse dixit : statim valere, ac suas sibi res habere jussus est, vixque effugit quin mendacium et impietatem abscissa lingua lueret.

Ethnici amplius sex mille sacro fonte expiati.

Quanto liberior in agro Goano pietas, tanto erat illustrior. Præter complures ad Fidem conversos, quorum amplius sex millia hoc et superiori anno numerata sunt, celebratus est in ipsa

Goa et Societatis collegio baptismus capitum mille. Interfuit Indiæ prorex cum frequenti procerum comitatu, et catechumenos aliquot de sacro fonte suscepit; plerique ab Archiepiscopo Goano vitalibus aquis regenerati sunt. Magnam universæ civitati voluptatem attulit Saraceni Principis felix ab impietate Mohometana transitus ad Christianam pietatem. Hic debitum sibi Armuziæ regnum eripi a fratre dolens, Lusitanorum fidem et potentiam imploraverat. Dum ejus causa expenditur, propositas a Patribus, qui de cœlesti regno illi comparando laborabant, rationes demisit in animum et Sebastiani nomen in baptismo accepit.

P. Fernandius neci datus in Bengalano regno.

Simillimus et florentissimus reliquorum in Ora Malabarica Societatis domiciliorum status erat : non item in regno Bengalano, ubi perturbata omnia et infesta. Nescio quid offensionis regem inter et Lusitanos subortum, causam bello dedit. Certatum terra et mari, et a Rege quidem parum feliciter. Populus qui Regum odia induit, Christianos in hostium habere numero, conviciis contumeliisque Patres incessere. Pergebat nihilominus P. Franciscus Fernandius consueta obire munia. Forte incidit in altercantes cum indigenis aliquot Lusitanis. Accurrit, ut rixam qua solebat auctoritate componeret. Mutatos animos sensit. Irruunt in eum conferti, pugnis calcibusque tundunt, oculum etiam per summam immanitatem exsculpunt : denique spoliatum vestibus conjiciunt

in carcerem, ubi squalore, inedia, et morbo consumptus est Ciatigani, decimoseptimo Cal. Decembris. Huertæ, in Toletana diœcesi natus, inierat Societatem anno MDLXX, annum alterum a vigesimo emensus. Cum P. Alexandro Valignano navigavit in Indiam anno MDLXXIV. Goæ theologiam docuit; Cocini deinde, aliisque in locis Evangelico ministerio strenue perfunctus, in regnum Bengalanum cum Dominico Sosa venit, et vastissimum hunc agrum excoluit per quadriennium. Post ejus necem ceteri Patres nihil sibi tutum, aut proximis utile futurum arbitrati, irato Rege, infesto populo, recesserunt.

Riccius et Longobardus in Imperio Sinensi.

In imperio contra Sinensi omnia secunda et læta faciebat tum principis favor, tum populi ad P. Matthæum Riccium concursus, qui cum spectasset Pekini turrim ingentem, et speculam astronomicam, cum machinis ad inspicienda sidera non indiligenter comparatis, videretque litteratos et nobilissimos quosque Mandarinos cognoscendi cœli studio flagrare, hac indole gentis prudenter est usus ad ostendendum illis cœli conditorem et Dominum. Eandem e reliquis mathematicæ partibus, in quibus summus erat, captavit ansam ad insinuandam religionem. Musicum organum elegantissime compactum Imperatori obtulerat : qui Europæa modulatione delectatus continuo negotium primariis aliquot aulicis dedit, ut artem condiscerent qua pulsandum esset. Musicam enim

Sinæ colunt, si cum nostra comparetur, sane rudem et barbaram, licet amplissima præmia sint canendi magistris proposita. Rogatus est Riccius ut carminis quidpiam componeret, organo sociandum; ut auribus lingua subserviret, sonorumque discors concordia, vocibus interpositis, concentum jucundiorem efficeret. Cantica octo composuit eleganti stilo, in iisque præcepta morum pulcherrima illigavit. Placuerunt majorem in modum, et Pekinum, ceterasque urbes brevi impleverunt. Cogebatur idem Riccius interesse splendidis, ad quos invitabatur, epulis Mandarinorum : cumque id consuetudo Sinensis ferat ut eruditis colloquiis obsonia condiantur, non omittebat sermonem injicere de religione. Domum reversus colligebat capita doctrinæ, de quibus inter cœnam disputatum fuerat, eaque edebat in lucem, præfixo Mandarinorum nomine, qui quid objecissent sapienter aut ingeniose solvissent; apposita illorum eruditionis et ingenii commendatione. Per hunc modum Christi doctrina lexque vulgata Pekini, in pretio atque honore habita, et in omnes imperii provincias propagata brevi fuit. Mandarini, litterati, aulici, hac perfusi luce, hac illecebra deliniti, superba colla Evangelio subjecerunt. Juvaret hic, non sine legentium voluptate, recensere mirificas divinæ bonitatis et sapientiæ vias nunc prosperas nunc adversas, quibus singulos benigna Numinis manus perduxit ad Fidem, si nostra

brevitas enucleari singula sineret. Sed ne plebs et infima hominum conditio neglecta videretur, P. Nic. Longobardus ab urbe processit in circumjectos pagos. Ibi tabellam pictam proponens, mysteria quæ incurrebant in oculos, explicando, in aures animosque dimittebat. Aliquando Christi Domini præclaram imaginem extulit sublime; tum eamdem prono capite veneratus, Servatoris nostri dignitatem, et summa Boni-Pastoris in mortales promerita sic apposite commendavit, ut in ejus ovile cooptari enixe petierint. Lætus successu sacerdos sancti baptismatis dignitatem multis ac veris laudibus celebravit, instituitque ut sacro renati fonte ab amicis et consanguineis ad strepitum lyræ domum e templo reducerentur; ad eum fere morem quo Sinenses illis gratulari solent, qui regio aliquo munere ornantur. Sic sunt homines : rerum pretia oculis plurimum, et externo splendore metiuntur; atque huic imbecillitati, etiam in tradendis rebus sacris, recte servitur. Itaque Fides honore affecta vicinis paulatim innotuit pagis oppidisque, et instar illius minimi seminis in Evangelio laudati, crevit in arborem, et fructus ubique lætissimos extulit.

Controversia de Auxiliis.

Romæ interim controversia de Auxiliis coram ipso Pontifice acriter disceptabatur. Prodierunt in arenam P. Didacus Alvarez Dominicanus, et P. Gregorius a Valentia, Societatis Theologus. Clemens VIII Pontifex aderat moderator pugnæ.

Assidebant Pontifici Cardinales duo, Pompeius Arigonius, et Camillus Burghesius, qui postea successor Clementi datus, nomen Pauli V sumpsit. In inferiore subsellio considebant septemdecim, qua doctores, qua præsules: denique Generales Præpositi utriusque religiosi Ordinis. Duodecim hoc anno habitæ sunt Congregationes, Pontifice argumentum singularum, de quo disputarent pugiles, proponente. Factum initium primæ decimotertio Cal. Apriles, et in pugnam hinc atque inde procursum est: pugnatum horis ipsis quatuor; principio perpetua oratione, postea ut assolet in scholis, e forma dialectica, et alternis syllogismis. Confecto prælio, Pontifex geminos athletas cum suis Præpositis Generalibus in proximum secedere cubiculum jussit, ac diu cum iis qui secum aderant collocutus, eosdem revocans, omnibus imposuit gravissimam arcani et silentii legem. Patri Didaco Alvari substitutus est P. Thomas de Lemos. Secunda Congregatio habita est sexto Idus Quinctiles: tertia, quinto Idus: quarta undecimo Cal. Sextiles; atque aliæ deinceps, usque ad nonam pridie Calendas Octobres institutam. Ea peracta incidit in morbum P. Gregorius a Valentia jussusque a Medicis proficisci Neapolim, ut aura salubriori reficeretur, ibi anno sequenti cessit e vita. Ejus implevit locum P. Petrus Arrubal, theologiæ professor in collegio Romano, et doctrinam Molinæ, de

qua sola in istis sub Clemente certaminibus pugnabatur, propugnavit in decima Congregatione, XIV Cal. Decembris; undecima, quinto Idus Decembr; duodecima et ultima hujus anni MDCII, decimo septimo Cal. Januarii.

Instauratæ sunt concertationes anno MDCIII, quarum decimatertia inchoata est die XIII Calend. Februarii; decimaquinta, sexto Cal. Februarii; decima quinta, sexta et septima, XIII Calendas Martias, postridie Idus Aprilis, et tertio Nonas Maii. Reliquæ indictis a Pontifice diebus, usque ad vigesimam tertiam et ultimam, sexto Idus Decembris habitam anni MDCIII. Cum æstivi calores valetudinem P. Petri Arrubalis mense Julio fregissent, substitutus illi fuerat P. Ferd. Bastida.

Præscriptus Congregationi vigesimæ quartæ dies, decimus tertius Cal. Februar. anni MDCIV, erudita prælia renovavit, quorum postremus, ordine quintus et trigesimus incidit in septimum Idus Decembris ejusdem anni. Ineunte anno MDCV pridie Nonas Januarias habendam indixit Pontifex Congregationem trigesimam sextam, tum septimam XII Cal. Februarii; denique octavam pridie Idus Februarias. Sed huic postremæ non interfuit, morbi causa, quo extinctus est quinto Nonas Mensis Martii anni ejusdem MDCV.

INDEX

ET SERIES RERUM

quæ in Tomo tertio continentur.

Annus.		Pagina.
1581	Congregatio Generalis quarta — Claudius Aquaviva. .	1
	Collegia Placentinum, Vercellense, Divionense, Augense, Gerundense, Leodiense.	2
	Personius et Campianus. Hic torquetur, moritur . .	3
	Shervinus et Briantus idem supplicium subeunt . . .	7
	Summarium vitæ Campiani — Joannes Hartus . . .	9
	Donaldus ob fidem interfectus in Hibernia.	12
	Personius in Gallia — Augi Seminarium Anglorum — PP. in Scotia	13
	Possevinus legatus in Moscoviam.	14
	Quo statu res in Belgio: Tornaci, Lovanii.	18
	Societas in Transsylvania vexatur ab Arianis	19
	Missiones in Illyrico, in Silesia, in regno Angolano. .	20
	Res gestæ in India, in Brasilia, in Japonia.	23
	P. Rogerius in Sina primum domicilium figit. . . .	28
	In Mexico etc. Collegia varia	30
1582	Ingressus in Philippinas — Bellum civile in Japonia. .	31
	Japonica legatio ad Pontificem	33
	Domicilium stabile in Imperio Sinico	35
	Neophyti Goæ et in Malabare.	38
	P. Cottamus in Anglia neci datur.	39
	Pax inter Polonos et Moscovitas. Religio non admissa.	42
	Collegia Rigæ, Niesvisii, Lublini, Talabricæ	48
	Provincia Aquitana et Lugdunensis	49
	Præpositi Generalis fixa Romæ sedes	50
1585	Missio Constantinopoli — Legatio Antiochena irrita .	52
	Missio ad Cophtos — et Angolana	56

Annus.		Pagina.
	Rodulphus Aquaviva fortiter cadit, cum quatuor Sociis.	57
	In Japonia Faxiba favet Christianis	60
	In Anglia P. Haywodus captus; P. Samerius in Scotia .	62
	Galliæ Rex a Collegiis alienigenas amovere tentat. . .	64
	Utilis opera Rotomagi, Ebreduni, Nemausi, Dolæ, Luxemburgi, Cortraci, Toleti, Burgis, Cracoviæ, Posnaniæ, etc.	65
1584	Societ. Confirmatio a Gregorio XIII — Ratio studiorum.	68
	Domus Mantuæ, Benevenil, Roboreti, Gedani, Grodnæ, Niesvisii, Fuldæ, Astigis, Bilbili, Vergaræ, Alguerii, Aginni, Panamæ, Olyssypone, Goæ	69
	Primi Sinenses baptizati	72
	Missio ad Græcos Antistites, ad Melchitas, ad Caphtos.	74
	— in Livonia, Illyride, Epiro, Mysia, Transsylvania.	77
1585	Legatio Japonica Romæ accepta	79
	Possevinus in Germania, Polonia — apud Rigenses .	81
	Collegia Derpati, Crumloviæ, Erfordiæ, Græcii, Gandavi, Ipris, Varadini	83
	Edicta de Bulla cruciata.	87
	Res Japonicæ, Mexicanæ, Brasilicæ	88
1586	PP. admissi in Tucumania, in urbe Quito — Bungo ejecti, et Riga	91
	PP. ad tribunal Inquisitionis vocati in Hispania . . .	94
	Molestiæ ex Gallico fœdere (la ligue).	95
	Collegia Cortraci, Montibus, Valencenis, Luxemburgi, Ratisbonæ, Unguariæ	96
1587	P. Vasquez turbat Societatem	98
	Res Transsylvaniæ, Rigenses, et Samogitiæ	99
	Rex Bungi junior baptizatur. Senioris mors et virtutes.	101
	Persecutio prima Ecclesiæ Japonicæ.	105
	Domus Neapoli, Hispali, Bruxellis — Missio Castrensis.	109
1588	Exilium Societatis e Transsylvania — Ingressus in Moldaviam	110
	P. Vincentius oppugnat Societatis obedientiam . . .	115
	Visitatio Societatis per externum Antistitem cur rejecta.	116

Annus.		Pagina.
	E Japonia migrant plures; alii latitant	118
	Reginæ Tangi pietas — P. Morales, Japonum Episcopus, moritur — Conversiones multæ in India Orientali. .	120
	Collegia Vadalazaræ, Azevali, Anecii, Crumloviæ, Monasterii	122
1589	Sixtus V jubet examinari Institutum	127
	Vallisoleti Seminarium Anglicanum — Rectorum hora Considerationis.	129
	Galliarum perturbatio — Societas Burdegala expellitur.	130
	Domus Auscii, Petrocoviæ, Alguerii, Calatanessæ, Minæ, Salernis, Consentiæ, Commotovii.	132
	Aquisgrano discreditur — Restitutio in Transsylvania .	133
	Rex Bungi deficit a Fide.	134
	PP. inter Afros et Americanos.	136
	Riccius et Almeida, Sciauquino Xauceam migrant . .	137
1590	P. Valignanus cum Regiis legatis in Japonia	140
	Sixtus V examen Instituti urget	142
	Turbarum auctores in Hispania	144
	Collegium Bruntrutense, Oropesanum etc..	145
1591	Gregorius XIV Institutum confirmat.	146
	S. Aloysii mors; ejus virtutes	148
	Exilium ex Transsylvania	150
	Variorum Collegiorum sors — Baius in Belgio. . . .	151
	Valignanus in Japonia — Rex Bungi ad Fidem redit. .	153
1592	Clemens VIII Congregationem Generalem cogendam jubet	155
	Initium Missionis Hollandicæ, et Bosniensis	156
	Res gestæ in Valachia, Ukrania, Estonia, Hammonæ, Alsolinduæ, in insulis Maris Ægei, in Africa . . .	157
	Sodalitas ad liberandos captivos	158
	Carceres et ærumnæ PP. Mettami et Southwelli . . .	159
	Res Japonicæ	160
	P. Riccii eruditio, et apud Sinenses fructus	162
	Collegia fundata — Lis cum parochis decisa	164
1593	Congregatio Generalis quinta — Card. Toletus . . .	165
	PP. Salesius et Saltamoch, a Calvinistis occisi. . . .	168

Annus. Pagina.

In Scotia PP. Critton et Gordonius — Seminarium Scoticum Duaci — Seminaria Hibernicum Olysippone, Anglicum Audomari 170
Ingressus in regnum Chilense. 171
Labores in Tucumania, Paraguaia, Peruvia. 172
Collegium Platense — Insulæ Canariæ 174
In Japonia quis rerum status, in adventu PP. Franciscanorum. 175
1594 Initium controversiæ de Auxiliis 177
P. Cornelius in Anglia morti traditus — P. Gerardii cruciatus. 178
P. Lelesius ab hæreticis veneno absumptus. 181
P. De Tapia a barbaris interemptus 182
In Gallia pristinæ lites 183
Nova domicilia — Provincia Philippinarum 184
Rutheni a Schismate revocati. — Synodus Brestana. . 185
1595 P. Southwelli mors acerbissima — Item P. Walpoli etc. 187
P. Brilmaker veneno tollitur 192
P. Guignard capite damnatus — Socii Parisiis, exules . 193
In Transsylvaniam reditus — Collegia condita hoc anno. 195
Gesta in Pannonia, insula Chio, Naxo, Ceylano. . . 196
Collegium Macaense — Domus Nankamensis, in Sinis. 197
P. Hieron. Xaverius in Mogole — P. Georgius in Æthiopia, occiditur 199
Initium Madurensis Missionis 201
In Japonia PP. Franciscani suæ pietati liberius indulgent. 202
1596 Missio ad Maronitas instaurata. 203
Obitus Card. Toleti — Henr. a Lotharingia — P. Carillius. 204
Anglorum Seminarium turbatur — Gaditanum vastatur. 207
Naufragio plures pereunt 208
P. Montanus in Belgio; P. Lopes a barbaris occisi — Collegia recentia — Sodalitas B. V. accusata et defensa. 209
Mercatura objicitur Patribus in Japonia. 211
Apud Sinas Sociorum vexatio. 213
Acta in Chilensi regno; in Philippinis; apud Carigios 215

Annus.		Pagina.
1597	Secunda persecutio in Japonia — SS. Martyres Japon.	220
	P. Martines, Episcopus in itinere moritur	229
	In Perua, P. Urrea interfectus	230
	P. Gerardius in Anglia cruciatus.	231
	P. Huntlæus cum aliis quid agant in Scotia	233
	In Brasilia prohibetur Servitus	234
	Calcutensis Rex favet — Non ita Mogolum Imperator .	235
	Marcus Antonius de Dominis, dimissus.	237
	Nova Collegia — Provincia Lithuanica, et Sardiniæ. .	238
1598	In Anglia triste dissidium — Appellantes	239
	P. Laterna interfectus a Calvinistis	242
	Societas Claudiopoli ejecta — Nova Collegia	245
	Res gestæ in Bengala, in Pegu etc. Madura, etc. . .	245
	Episcopus in Japonia P. Cerqueira — Obitus Taicosamæ.	251
	Renovata Controversia de Auxiliis	253
1599	Cardinalis Bellarminus	254
	De S. Ignatio inter Beatos referendo agitur.	256
	Nova Collegia aperiuntur — Vastantur in Transsylvania.	258
	Acta in Scotia, Hibernia, Estonia	260
	Synodus Diamperiensis.	262
	Gesta in Mogole, in regno Decano	263
	In Sinis domus Nankini miro modo obtenta.	265
	In Japonia qui fructus collecti.	269
	Controversia de Auxiliis	270
1600	Congregatio procuratorum — Nova Collegia	272
	Tres PP. in Belgio ab hæreticis perempti	275
	Gesta in Transsylvania, in insulæ Dio, in Mogole, in Sundiva insula, in Bengalano regno, et apud Malcanos. .	276
	P. Riccius proficiscitur Pekinum.	279
	In Japonia civile bellum. — Novæ domus	284
1601	In Anglia P. Filcochius necatur	287
	In Hibernia quid Socii passi sint.	289
	Transsylvanicæ turbæ	290
	In Collegio Derpatensi PP. malehabiti	291

Annus. Pagina.

Legatio ad Moscovitas, et ad Persas 292
Nova Collegia 293
Res Calecutenses 295
P. Rosus, Thomæorum Episcopus, Angamalæ . . . 297
P. Riccius Pekinum ingressus — Daifusama Japonum Imperator 298
1602 In Anglia P. Pagius suspenditur, in Hibernia Frater O Colinus 300
Religio in Cebennicos montes revocata. Eadem in Alpinis vallibus propugnata 304
Henrici IV apud Venetos Orator cum familia ereptus Calvino 306
Domicilia variis in locis posita 307
Ethnicorum amplius sex millia sacro fonte expiata . . 309
P. Fernandius ab improbis in regno Bengalano neci datus. 309
PP. Riccius et Longobardus variis artibus Christum Sinis insinuant. 310
Tertia epocha controversiæ de Auxiliis. 313

6915

060.9
J 988

JUVENCIUS, JOS.

AUTHOR

Epitome Historiae S.J. III

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Jos Geary	JUN 3
	Schoenberg	
	Curran	
	STORAGE - COSA	

6915